DISPUTATIO

DE

ORACULO DODONAEO.

AUCTORE

FREDERICO CORDES.

DISPUTATIO LITTERARIA

INAUGURALIS.

DISPUTATIO LITTERARIA
INAUGURALIS,

DE

ORACULO DODONAEO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

Rectoris Magnifici

SIBRANDI ELZONIS STRATINGH,

In Facultate Medica Prof. Ord.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CAPESSENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI OFFERT

FREDERICUS CORDES,

Amstelodamensis.

IN AUDITORIO LITTERARIO.

Die XXX Decembris MDCCCXXVI. Hora XI.

GRONINGAE,

Apud W. VAN BOEKEREN.

Nemo nostrûm non peccat; homines sumus, non Dii.

PETRONII, *Satir. cap.* 82.

PATRI

ET

PRAECEPTORIBUS,

Hanc disputationem voluntatis suae tesseram

dedicavit

FREDERICUS CORDES.

ΕΚ ΔΙΟΣ ΑΡ

ΧΟΜΕΣΘΑ

ARATUS.

INGRESSUS.

DE

ORACULORUM APUD GRAECOS INITIIS.

§ 1.

Inter omnes animi permotiones, quas hominum generi rerum creator tribuit, non ulla, credo, maiorem habet vim semperque habuit eâ, quam imperat suadetque cupido sciendi futurum (1). Nam quocunque nos oculis et co-

(1) Philo Judaeus; *περὶ Μοναρχ.* Tom. II. p. 221. edit. Th. Mangey (edit. Francofurt. p. 820.) *Ἐπεὶ δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις ἔρως τῆς τῶν μελλόντων ἐπιστήμης ἐνίδρυται.* — Immoderata ista animi cupido vocatur a Synesio, *De Providentia*, p. 128, (edit. Lutetiae, 1612), *λιχνεία τοῦ μέλλοντος* — haud parum eleganter! —

cogitatione vertamus, cuiuscunque nos populi aut vitam moresve scrutemur, vestigia huius studii ubique adesse videntur. Ac si volumus huius rei, quae cum ingenii humani indole apte convenit, considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum atque ab optimis rationibus profectum.

Quod vero ut planius exponam, altius paulo rationem naturae nostrae humanae repetam, necesse est.

Nemini quidem nostrum, diligentius secum reputanti, a quibus initiis voluntatis suae motus oriantur et ad quem potissimum finem inclinent atque propendant, non liquere putem, amorem praeclarum quendam et eximium homini innatum esse in egregia illa bona, quae vitam superam coelestemque contingunt, divina sunt per se (1), nec ullam recipiunt permutationem.

Ita

(1) Vid. Plato *in Euthydemo* (edit. Basileae ap. Joan. Valderum, 1534), p. 271 — ubi Socrates eleganter disputat *de eo, quod omnes ad Felicitatem sponte nitamur.* — Confer. ad distinctionem bono-

Ita nempe Veritas et Felicitas, quibus nihil firmius, nihil immobilius cogitari potest, maxime naturam attingunt humanam. Ut enim nobis est propria veri inquisitio atque investigatio, sic etiam ipsius naturae stimulis incitamur ad bene beateque vivendi cognitionem. Quippe nulla gens tam fera, nemo hominum tam est immanis, cuius mentem non imbuerit Felicitatis opinio.

Consistit vero Felicitas, pura scilicet atque integra, secundum praecepta philosophiae, hoc est, rationis sanae bonaeque, in perpetuo voluptatis usu et in omnium vacatione dolorum.

Quae cum ita sint, cuivis iam in antecessum patet, qui terrestres animo calamitates collegerit, veram et meram, ut dicitur, Felicitatem nequaquam inveniri infra lunam posse, ubi nihil est nisi mortale et caducum,

norum, quam intelligo, Apulejus, *de Dogm. Platon.* Lib. II. p. 219, ex editione J. Bosschae, *praeceptoris quondam mei aestumatissimi.*

cum, « praeter animos generi hominum munere Dei donatos." (1)

Et profecto, quod ita iam in antecessum patuit, illud in actione vitae perbene probatur. Ibi enim non Veritas tantum sed ipsa quoque Felicitas fugere videtur amatores suos ut insequentem Apollinem Laura. (2)

Attamen ne, nulla Felicitatis forma et specie reperta, nostra haec vita minus bona esset aut amabilis, curavit benignitas ejus, qui tenet principatum orbis terrarum.

Quum enim istius Felicitatis, de qua modo breviter disputavi, non frueremur conspectu, nec unquam frui liceret, ecce! sensuum vis et epi-

---

(1) Sunt verba superioris Africani in *Somn. Scipion.* cap. 4. « infra autem (Lunam) iam nihil est, nisi mortale et caducum praeter animos generi hominum munere Deorum datos." Pulcherrime dicit Elnawabig (in *Anthologia sententiarum Arabicarum e versione* H. A. Schultens, p. 79.)

« Nulla in hoc mundo Felicitas, quamdiu oriuntur sidera."

(2) Allusio ad dictum Borgeri in *Prolegg. Disput. de Mysticismo*, p. 2, (edit. Hagae Comitum 1820.) « Fugere veritas amatores suos videtur, ut insequentem Apollinem Laura."

opinatio nobis ita depinxerunt imaginem tutae tranquillaeque vitae, ac si eandem fere haberet naturam atque ipsa Felicitas (1). Haec igitur tuta tranquillaque vita, quasi maximum ad beatitudinem adferens momentum, nos ad sese rapit et minora deserere hortatur.

Tutam vero tranquillamque vitam contineri securitate rerum externarum, quis est, qui neget?

Atqui ut stationes vitae, quas Supremus mundi Rex disposuit unicuique mortalium, tutae fiant ac securae ab hosticis, ut ita dicam, fortunae excursionibus, unum semper requiritur vel maxime: Futuri, quod instat, consideratio. Si qua quidem alia in re, tum certe in ea quaestione, quae de consequenda vita tuta proponitur, valet illud:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas! Ubi enim, etsi nos mente ac voluntate in id conji-

(1) Conf. Aristoteles in Rhet. L. I. 5. p. 64 ed. Buhle: „Ἔστω δὴ εὐδαιμονία..... ὁ βίος ὁ μετὰ ἀσφαλείας ἥδιστος." — Synesius, *De Regno*, pag. 4. „μακαρίζεται μὲν γάρ τις ἐπὶ τοῖς ἔξωθεν."

jicimus, data erit unquam copia cavendi ab eventuum impetu, nisi ad illos parati simus atque armati? Ad quos autem quo modo ita jam constituemur, nisi nobis causae, unde originem habent, satis explicitae sint et quasi in apricum prolatae? Qui vero cognoscentur causae illae futurae eventuum futurorum, nisi mens praeceperit cogitatione Futurum? Omnia quippe, quae fiant et quae futura sint, ex praeteritis oriuntur.

Ea qui considerarit, fateatur oportet, illam animi cupidinem, de qua feci supra mentionem, quasi cognatione quadam cum causis honestissimis contineri; siquidem curam habere vitae salutisque suae non laudandum modo est studium, sed optimum etiam, quod ratio et natura praescripserit.

Et haec (ne alieno loco diutius insistam,) sufficiant ad defendendam rem, de qua loquor. Probe tamen scio, me dixisse brevius, quam res tanta dici poscit.

§ 2.

§ 2.

In illis porro beneficiis, quibus genus hominum semper et ubique cumulavit Numinis supremi benevolentia, hoc quidem conspicuum est, quod, natura duce et magistra, esse aliquem intelligit, cujus magnifico atque praeclaro imperio omnia, quae adspectu sentiuntur, aër, ignis, aqua, terra, obedire debent et parere. (1) Ve-

(1) Conferatur auctor (vulgo Aristoteles) *libelli De Coelo*, Lib. I. cap. 3. et *De Mundo*, cap. 6. — Cicero, *de Nat. Deorum*, I. 17 II. 4: — *De Legg.* I. 8. — *Tuscull. Quaest.* I. 13. — Seneca *in Epistola* CXVII. « Nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat." — Paul. *ad Roman.* I. 19. 20. Sextus Empiricus, p. 556 (ex edit. Fabricii). — Maxim. Tyrius, *Dissertatio* VII. — Grotius, *de Jure* B. et P. II. cap. 20. § 46. — Goguet, *de L'Origine des Lois, des Arts et des Sciences*, Tom. I. p. 38 (nouv. edition, 1809). — Meiners, *Allgemeine Kritische Geschichte der Religionen*, Tom. I. p. 11. — Herder, *Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit*, Tom. I. p. 153 seqq. (edit. Lipsiae, 1812). — Borger *de Mysticismo in prolegg.* p. 19.

Verum euimvero, quod nobis usu saepe venit in aliis rebus, quae intelligentiae nostrae vim et notionem effugere videntur, quaeque sentiri magis quam cognosci possunt, ut magna sit opinionum varietas ac dissensio; hoc item per omnia tempora et ubivis terrarum accidit illis, qui, lumine scripturae sacrae privati, eum sibi fingere vellent:

Qui mare et terras variisque mundum
Temperat horis;
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quicquam simile aut secundum.

Nam licet in hac tanta pugna, contentione atque opinionum diversitate in eo ubique consentiatur, Deum esse unum, regem omnium ac patrem (1), huic tamen multos alios additos esse vi-

(1) Confer. Du Lignon, *Histoire de L'Idolatrie Payenne*, pag. 4. et Cl. Wyttenbach, *in Disputatione de Unitate Dei*, p. 579, 383, 387 (in Tom. II, Opusc.)

videbis Deos, qui supremi illius filii sint et quasi in imperio collegae. (1)

Cujus rei causam diligentius inquirere si velimus, futurum esse reor perspicuum, eam optime convenire cum ratione et relatione mentis ipsius nostrae.

Excitat sane, quicquid splendet, quicquid coruscat, aut vi aut forma praecellit, nemini non nostrum, ab intentiori ratiocinatione adhucdum remoto, magnam et admirabilem quandam venerationem.

Quo-

---

(1) Vid. ad totam hanc §. ea, quae dicuntur in libro inscripto: *Asiatic Researches of the Society instituted in Bengal.* Volum. I. (printed verbatim from the Calcutta edition) ibi *Dissert.* IX. *On the Gods of Greece, Italy and India, written in 1784 and since revised, by the President* (William Jones), p.221, seqq. in 4o. — Vid. *idem liber Germanice versus*, Rigae, 1795, pag. 161 seqq. — Quod ad multitudinem Deorum inferioris classis; Hesiodus iam cecinit (Ἔργα καὶ Ἡμέραι, v. 250, seqq. in editione Schrevelii.)

Τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς πρόπολοι, φύλακες ἀνθρώπων.

(ita enim ibi legendum mihi videtur conferenti Maxim. Tyrium, *Dissert.* XIV, in fine.)

Quoad enim respicimus spatium praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordamur ultimam, nobis statim apparet, mentem quidem nostram, nondum exercitatam in reputandis causis, quibus res omnino earumque mutationes et vicissitudines producuntur, vehementius affici omnibus iis imaginibus, quaecunque extrinsecus in animum nostrum irrumpunt (1), quam quod, accepto causarum genere et cognito, fieri vulgo solet.

Ac populi, quo sunt rudiores, eo quoque magis accedunt ad similitudinem morum, quos recipit infantia tenera et flexibilis.

Eorum enim ingenium, vix ope artis mutatum atque conversum, eas sequitur sentiendi seu percipiendi leges, quas in hominum animis impressit natura ipsa.

Quid mirum ergo, rudes adhuc populos, sensu tantummodo ductos, posteaquam, inter pe-

(1) Seneca, *Natural. Quaestiones*, VI. 3. «Nobis autem, ignorantibus verum, omnia terribilia sunt, utpote quorum metum raritas auget." — Conf. Heynii *Opuscul. Academic.* Vol. III, p. 7.

peragrandos campos et montes hieme et aestate, totius hujus mundi insignia, Solem et Lunam vidissent, cumque eorum jubare perculsi essent et efficacia, eo tandem processisse, ut alterutri divinitatem tribuerent (1)? Quid porro,

(1) Exuberantis esset operis, si ulterius in hac re excurrere vellem, sed

Non hoc ista sibi poscit spectacula tempus!

Haec tamen addere libet. Non improbabile videtur, sublata verae religionis doctrina, cultum et honores, Soli ac Lunae adhibitos, omnium fuisse antiquissimos. E sacro enim codice, prastanti illo veteris historiae monumento, clare liquere videtur, Jacobi iam et Josephi aetate, Aegyptios sacra Soli et Lunae fecisse. Nam *Geneseos* XLI. 45, 50. XLVI. 20. memoratur urbs און, quod nomen Alexandrini interpretes reddunt Ἡλιούπολις, neque male! — quandoquidem in Aegyptiorum lingua און (pro quo apud Jerem. XLIII. 13. בֵּית שֶׁמֶשׁ — vid. W. A. Bachiene, *Geogr. Sacra*, Tom. III. P. I. p. 212,) dicebatur Sol; et Heliopoli sacra facta fuisse τῷ Ἡλίῳ testantur Herodotus II. 59. 73. — Strabo XIII. p. 932. edit. Xylandr. — porro nomen Ἀσενὲθ (*Genes.* XLI. 45, 50) proprie denotat (secundum rei peritos) eam, quae addicta est ministerio Deae Νηΐθ. — Scimus autem Aegyptiorum Νηΐθ eandem fuisse habitam, quae Graecorum Ἀθηνᾶ (Plutarch. in Isid. et Osirid. edit. Francofurt. 1620. Tom. II. p. 354), et Ἀθηνᾶν eandem, quae Aegyptiorum Ἶσις (Plutarch. l. l. p. 372,); hanc au-

ro, quod, simulac credidissent esse sidera minora, quasi internuncios Solis aut Lunae, iis etiam cultus, honores, precesque adhibuerint? Om-

---

autem eandem, quae Romanorum Luna: hinc ergo perspicuum est, tunc iam temporis Soli et Lunae honores divinos fuisse tributos. — Homines non multo post etiam adorasse ceteras stellas, colligi potest ex *Deuteron.* IV. 19. Jobi XXXI. 26, 27. Hinc quoque putaverunt multi e veteribus, tam Graecis quam Latinis, Deorum substantias proprie esse revocandas ad Solem et Lunam, stellas et astra. Vid. Plato *in Cratylo*, p. 144, edit. Astii — et *conf. Epinomis*, p. 34. ej. edit. — Philo Judaeus, *περὶ Μοναρχ.* Tom. II. p. 213. edit. Th. Mangey. — edit. Francof. 1691, p. 812. — Macrob. Saturnal. I. 17. — Eximie sic vocatur Sol *ὁ θεός* apud Appianum *in praef.* p. 7, edit. Tauchnitzii „*ἀρχομένου τε καὶ δυομένου τοῦ θεοῦ;*" et Luna *ἡ θεός*, ap. Aelian. *Natura Animall.* II. 35. „*κατὰ τὴν τῆς θεοῦ καὶ λῆξιν καὶ πρόσθεσιν.* — X, 29. *σελήνης δὲ ἐκλιπούσης καταμύει, ἔστ' ἂν ἡ θεὸς αὖθις ἀναλάμψῃ.*" — Vid. inprimis de hoc argumento eleganter disputans Dupuis, *de l'origine de tous les cultes*, Tom. I. p. 71. edit. minor. «L'univers et ses parties, c'est à dire la nature et ses agens principaux, ont non seulement dû être adorés comme Dieux, mais, ils l'ont été effectivement, d'où il résulte une consequence nécessaire, savoir: que c'est par la nature et ses parties et par le jeu des causes physiques, que l'on doit expliquer le système théologique de tous les anciens peuples."

Omnis enim error, primum a veritate deflexus, nunquam aut perraro insistere potest solus; namque uti veritatum, sic errorum quoque admirabilis quaedam est continuatio, ita quidem, ut alii ex aliis nexi et omnes inter se apti colligatique videantur.

Quid tandem est, cur miremur, quod, quum primum homines, diligentius animadversis rerum causis earumque eventis, perspicere coepissent, non semper omnia, quae sibi seu bene seu male evenissent, ex suo arbitrio aliorumve pendere, ad eos subito confugerent, quos pro Deorum internunciis olim salutavissent? Quid, quod homines, cum vehementer optavissent sibi succurri a naturis istis superioribus, hoc idem fieri deinde crederent? Namque quicquid est, quod optemus, illud brevi post tempore saepe speratur; quodque certo speravimus, hoc facillime creditur: dici enim non potest, quanta celeritate Spes mutetur in Fidem.

Igitur mirari desinamus, quod Chaldaei, Babylonii, Aegyptii trajectiones motusque stellarum tam religiose observaverint, omnemque

cu-

curam et operam in siderum cognitione posuerint; quod inde petiverint artem praedicendi, quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset; quodque illud idem, ut intellectum est, quantam vim haberet ad augendas opes easque confirmandas, mox transierit in possessionem privatam: namque haec omnia videntur profluxisse ex uno fonte: *studio salutis et commodi sibi proprii.*

§ 3.

Si autem quis nunc quaerat, quae causa me impulerit, ut in primordio disputationis de Oraculo Dodonaeo haec verba proferrem, nihil est, quod expedire tam facile possim.

E magna popularium scilicet errorum multitudine, quibus Graecia, excellens olim et virium gloria et gradu dignitatis, foede fuit obstricta, haud pauci sane sunt, qui cum aliarum gentium erroribus, tanquam propinquae quodam cognationis vinculo, arctissime conjungantur.

Complures tamen, propter Graecorum animos

ad

ad nova et mira promptos (1), apparent habitu ad primam speciem tam portentoso, ut, nisi accuratius perpendamus, quid apud alios incultos populos in aliis terrae regionibus jam pridem locum habuerit, fieri profecto non possit, quin ad Graecorum stultitiam stupeamus horrore pleni.

Quis est enim, qui, nisi omnes vias superstitionis perspectas habuerit earumque diverticula flexionesque cognoverit, patiatur sibi persuaderi, populum mentis luminibus clarissimum, mirabili gaudentem prudentia, peracri praeditum ingenio, doctorem multarum gentium (2), processisse olim eo stultitiae, ut eventus re-

rum

(1) Tacit. *Annal.* V. 10. «et promptis Graecorum animis ad nova et mira," Synesius in *Calvitii encomio*, p. 73. „Ἕλλησι γὰρ ἀπαλαίπωρος τῆς ἀληθείας ἦν ζήτησις."

(2) Elegans in hanc rem extat locus apud Meinersium, in *Miscell. Philosophic.* P. I. «Nie war ein Volk, das auf so viele andere Völker einen so groszen und dauerhaften Einflusz gehabt, so viele andere Jahrtausende hindurch gebildet, aufgeklärt und gebessert hätte als die Griechen von sich rühmen könnten." Conf. etiam magnus Ruhnkenius in incomparabili Oratione *de Graecia artium ac doctrinarum inventrice*.

rum futurarum ab abjectis et inanimis rebus interrogare vellet? Quis est, qui, nondum percepta planeque cognita hujusmodi errorum affinitate, nobis ullam habeat fidem, dicentibus, talem hunc populum consuluisse quercus, lebetes atque fontes de rebus maximi in civitate momenti?

Cogitantibus vero et memoria repetentibus istum aliorum populorum morem, quo sidera et stellas, utpote Numinis divini internuncios, in consilium adhibebant, non anceps videbitur amplius hujusce rei ratio.

Ea nempe Graecos, diligentissimos publicae Religionis observatores cultoresque (1), invaserat opinio atque persuasio, Deos illos, quoscumque demum agnovissent, non tantum futura praevidere et nihil quicquam eorum, quae quidem in terris fierent, nescire, sed etiam aliorum uti ministerio ad singulas mundi partes obeundas atque rite administrandas.

Ili vero (Daemones vulgo dicti) declarare homi-

(1) Unde a **Paulo**, in *Act. Apostol.* *vocantur Athenienses*, *δεισιδαιμονεστέρει* (XVII. 22.).

minibus putabantur, veluti interpretes aut internuncii divini, qui medium semper tenerent inter Deos atque homines (1), voluntatem et sententiam eorum, quibuscum ad res mundanas curandas et gubernandas constituti designatique erant (2).

Iam vero, qui sic statuerent (non loquimur de philosophis Epicureis, Cynicis et plerisque

(1) Confer. Plato, *in Sympos.* p. 45. (ex edit. P. A. Reynders, Groningae, 1825.) „Καὶ γὰρ πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. (ibi editor.) — Stobaeus, *in Eclog.* p. 533. edit. 3ae, quam curavit Conr. Gesnerus. — Timaeus Locrus, *in Opuscul. Mythologic.* (ex edit. Thom. Gale) p. 566. vocat hosce δαίμονας, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπίνων, οἷς ὁ πάντων ἁγεμὼν θεὸς ἐπέτρεψε διοίκησιν κόσμω. — Sic etiam Plutarchus in libello *de Fato* (p. 308. edit. Wyttenbach, edit. in 8vo.) dicit: „δαίμονες τεταγμένοι τῶν ἀνθρωπίνων πράξεων φύλακές τε καὶ ἐπίσκοποι εἰσίν." — Legatur porro de Daemonum natura et ministerio Porphyrius περὶ ἀποχ. Lib. II. p. 172 et 173. ibique Cel. Jacob. de Rhoer; et Davisius ad Maxim. Tyrium. *Dissert.* XIX. p. 570. edit. in 4to.

(2) Hinc etiam Graeci duos habebant sacerdotes: unum, qui Deorum; alterum, qui Daemonum s. Geniorum sacra administraret. (Vid. Plutarch. *in Quaestion. Graec.* § 6.)

e recentiori Academia, gravibus dudum huic rei adversariis) quid mirum, quod hi, cupiditate sciendi futurum adducti, tunc temporis,

..... patiens cum terra Deorum

Esset et humanis Numina mixta locis,

quid mirum, inquam, quod hi, in occasionem tutandae vitae salutisque suae, colerent ac venerarentur locos, ratione situs magnopere suspiciendos (1), qui, propter effata et responsa divina, illic cum hominibus communicari credita (2), no-

(1) Vid. Clariss. Creuzerus in libro, qui inscribitur: *Symbolik und Mythologie der alten Völker*, Tom. I. p. 192. (edit. 2dae, 1819. —) W. Mitford, *Geschichte Griechenlands*, Tom. I. p. 169. (cura H. C. A. Eichstädt, 1818.)

(2) Ita quoque multa prostant exempla in veteri Testamento, quibus Deus ad rationem humani colloquii praesentiaeque humanae descendisse proponitur. Genes. III. 9. Exod. III. 4. XIX. 19. Numeri XII. 5. 6. Jesaïas VII. 10. (Vet. Testam. iuxta Septuaginta; — cura et studio L. van Ess, 1824.) — Huc conferri merentur elegantes isti Pindari loci (Olymp. VI, 105. et Nem. X. 150.) et illud Homero dignissimum (Iliad Ω. 89.)

„Ὄρσο, Θέτι, καλέει Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς."

nomine χρηστηρίων et Μαντείων i. e. *Oraculorum* (1) distingui solebant?

Cur nos miremur, quod, cum successu temporis, magistratus ambitiosi, sacerdotesque lucripetae ita prorsus quasi pronam atque munitam iudicassent viam ad dominandum in animos et divitias civium, tota res illa divina, pie olim instituta, in peius omnino abierit, caussâ mercedis atque quaestus?

Quid est denique, cur tantopere condemnemus Graecorum stultitiam tarditatemque, quod vel post Anaxagorae, Socratis, Platonisque tempora non desierint in iis locis inquirere Deos de rerum futurarum eventu; quandoquidem memoriâ saeculorum omnium constat, nullas unquam opiniones, vel absurdissimas ip-

(1) De significatu vocabuli *Oraculum* vid. Cic. in Topic. cap. XX — et Gallaei Dissertat. de *Sibyllis earumque Oraculis*, p. 222. ibique laudat. script. — Videatur porro περὶ μαντείων καὶ μαντικῶν τόπων Julius Pollux, Lib. I. cap. I. segm. 15. — De differentia verborum Χρησμὸς et Μαντεία vid. Schol. ad Sophocl. Oedip. Tyrann. v. 21.

ipsas, diutius passim florere ac vigere iis, quas sustentaverit Religionis Superstitionisve a Maioribus acceptae opportuna vis et potestas? — (1)

Teneamus praeterea semper id, nihil esse magis plerumque difficile, ac recte indicare de eo, quatenus maior minorve cura et opera suscipiatur, quam causa postulet (2); quatenus bo-

(1) Wieland in prolegom. vers. *Luciani*, Tom. II. p. 7: « Wo ist das volk, in dessen augen das unglaublichste nicht glaublich, das ungereimteste nicht ehrwürdig würde, sobald es mit dem stempel der Religion, oder (was in der wirkung einerleÿ ist) eines von voreltern abgestammten religiösen Aberglaubens bezeichnet ist?"

Plessing in Osirid. et Socrate, p. 559: « Nichts hält schwerer als falsche Religionsbegriffe und Aberglauben, die einmahl volksideen geworden, abzuschaffen." — Accommodate quoque in hanc rem dicit auctor (vulgo Corn. Nepos) Vit. Excell. Imperator. « Non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia majorum institutis iudicari."

(2) Sic, ut hoc utar, Plinius describit Religionem Christianorum, ut *Superstitionem pravam et immodicam* (Lib. X. Epistol. 97.) — Tacitus (Annal. XV. 44.) ut *exitiabilem*; Suetonius (in Nerone, cap. XVI.) vocat Christianos: « genus hominum superstitionis novae ac

boni malive plus attulerit singulis quibusque aetatibus singulisque saeculis sua sibi indoles suaque ratio; atque hoc inprimis valere, ubi agitur de ritibus et institutis sacris, quae sive ut exploratum quid haberent de sua salute, sive aliam ob rem instituere olim soliti sint aut etiamnum soleant varii populi gentesque diversae.

Haec igitur prolocutus transitum facio in ipsum disputationis argumentum; de quo nunc videtur mihi exponendi tempus dari.

ac maleficae." — Sane huc referre licet illud Iuvenaleum:

> *Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque*
> *Auroram et Gangem, pauci dignoscere possunt*
> *Vera bona.* — —

CAPUT I.

DE ORIGINE ORACULI DODONAEI.

§ 1.

De Urbe Dodona.

Omnium Oraculorum, quae quidem ad priscam Graeciae Vetustatem pertinent, illud semper maxime celebratum est, quod Dodonaeum dicitur.

Multis vero et magnis difficultatibus (quod praefiscine dixerim) implicatur historia, quae cum illo coniuncta est.

Quod enim Democritus Abderita (1), homo mehercule acutus, olim dixisse fertur in pro-

(1) Pervulgatam sequor traditionem in nuncupando patriam Democriti; non tamen nescius sum, exstitisse nuperrime inter eruditos Germanos, qui Democritum suspicarentur Milesium.

profundo veritatem esse demersam; illud praesertim experiri licet, quum convertimus animum ad narrationes, quae de origine huius oraculi proferuntur, magnopere miras.

« Historiam autem certam requirimus, non commentantium suspiciones;" (1) quae ego verba nunc eam ob causam repeto, ne lectores (si qui sint) opinentur, obruere me velle magna mole doctrinae omnes eos commentatores, qui ab antiquissimis usque temporibus scripserint de Oraculo Dodonaeo. Ita enim non cavere possem, ne veritatis splendor maculis coniecturae infuscaretur.

Homerum, Herodotum et Stephanum Byzantinum sequi prae aliis hac in disputatione, e recentiorum vero scriptis ea depromere atque in usum meum convertere, quae ad rem, de qua cognoscitur, maxime conveniunt, mihi est propositum et constitutum.

Cum

(1) Sunt verba Jacobi Gronovii in *Exercit. de Dodona*, p. 8, edit. in 4to.

Cum itaque haud sit ab re, si, priusquam loquaris de Oraculo Dodonaeo, definias, quantum potest, situm urbis, quae illud continuerit; hoc faciam, probatissimos, qui mihi videntur, auctores secutus.

Si vero, quam aggredior, descriptio, faeundiae non *nimis* capax, *minus* sit composita, vel incompta potius, spero fore, ut Lector, *satis* propitius, secum reputet atque huc conferat verba illa Manilii:

Ornari res ipsa negat, contenta doceri (1).

Dodona (quae Graecis Δωδώνη, per abscissionem Δωδὼν, et Aeolice Βωδώνη et Βωδὼν dicebatur (2)) fuit urbs Molossidis in Epiro (3). Tenu-

---

(1) Lib. III. vs. 39.

(2) Vid. Stephan. Byzantin. de Urbibus in v. Δωδώνη. — Idem in Thesauri Gronoviani Tom. VII. p. 303. — De Aeolica huius verbi Δωδώνη pronuntiatione vid. Cl. Heyne in Excurs. II. ad Lib. XVI. Iliad. Homer.

(3) Stephan. Byzant. l. l.

nuerunt eam antiquitus multae variaeque gentes. Epirum enim, licet asperam et montosam, frequentavit olim magna hominum multitudo. Primi huius regionis incolae fuerunt Pelasgi. Namque ad stirpem, ita nominatam, referuntur praesertim ii populi, qui Thraciam, Thessaliam, Macedoniam et occidentales Graeciae partes primi insederint (1).

Progressu vero temporis, cum in tribus varias abiret haec stirps, accepit nomina diversa.

Hinc

---

(1) Vid. Heyne in Epimetr. Dissertat. de Castor. Epoch. in Nov. Comm. Societ. Gotting. Tom. I. p. 90. — Eichhorn in Antiq. Hist. Tom. II. p. 15. — Sturzius, de Dialect. Macedon. et Alexandrin. p. 9. ibique laud. script. — K. O. Muller, Geschichten Hellenischer Stämme und Städte, Tom. I. p. 127. Tom. II. p. 5. — Larcher, in Tabula Geographica Herodot. vers. affixa, p. 177.

Hinc apud Apollonium Rhodium (I. 580) dicitur Thessalia — — — — — — Πολυλήϊος αἶα Πελασγῶν. Conferantur porro Thucyd. I. 3. — Iustin. Histor. Lib. VII. cap. I. init. — Dion. Halicarn. I. 17. II. 1. — Tzetzes ad Lycophronem v. 245. — Spanh. ad Callimach. Hymn. in Pallad. v. 4. p. 609. edit. Ernest.

Hinc profluxerunt Thesprotii(1), Helli (alias Selli)(2), Chaones(3), Perrhaebi(4) et alii.

Hae autem gentes seu tribus, pro sua quaeque potentia certantes, rudes et incultae, alienae adhucdum ab honestissimis studiis rationis et officii, quum in agris et per silvas passim vaga-

(1) Clar. Mannert, in libro, qui inscribitur: Geographie der Griechen und Römer, Tom. VII. p. 635.

(2) Vid. Steph. Byz. in v. Σελλοί. — Schol. Sophocl. ad Trachin. v. 1169. — Heyne in Opuscul. Vol. V. pag. 156. in nota. — Hoc nomen Σελλοὶ unum est ex iis, quibus Veteres modo sibilum, modo adspirationem praefixerunt. — Conf. Cl. Alberti ad Hesych. in v. Ἑλλοί.

(3) Vid. Cl. Mannert, l. l. p. 632.

(4) Sequor, in scribendo hoc nomine Perrhaebi, indicia Cl. Wassenberghii ad Homer. Iliad. II. 749. — Perrhaebos, nomen suum deducentes a Perrhaebo quodam, Thessalos fuisse natione, eosque olim possedisse regiones montanas circa Olympum et Tempe montes, atque se propagasse iuxta Peneum fluvium, usque eo, quo iste effluit in sinum Thermaicum; post autem, debellatos a Lapithis, confugisse in Aetoliae montana, Pindo proxima, narrat Eustath. ad Homer. Iliad. II. 749. et Strabo, Lib. IX. p. 671. edit. Almelov.

gabantur, saepe offendere homines suae stirpis atque eos depellere sedibus, quas obtinerent, aut promiscue habitare cum iis debuerunt.

Quod non raro accidisse, testantur monimenta historica. Sic e. g. Perrhaebi accensebantur antiquitus modo Macedoniae, modo Thessaliae (1).

Quibus rebus effectum est, ut Dodona jam ad Chaones (2) et Thesprotios, modo ad Hellopes et Perrhaebos, tum ad Molossos pertinere putaretur. Ad horum enim populorum ditionem, qui, potentia eminentes, finitimi erant Dodonae, urbs haec relata est. Ac

(1) Eustath. ad Homer. Iliad. p. 255. — Strabo Lib. VIII. p. 521. Hinc etiam explicare licet locum Hygini (cap. 225), «Thessalus (fecit) templum, quod est in Macedonia Iovis Dodonaei in terra Molossorum."

(2) Hinc *Columbae Chaoniae* (Virg. Eclog. IX. 13. — Propert. Lib. I. Eleg. IX. 5.) pro *Columbae Dodonaeae* — et *Chaoniique patris glandes* (Georg. II. 67.) pro *Iovis Dodonaei.* Sic etiam apud Statium (Thebaïd. VI. 99.) *Chaoniumque nemus* et apud Senecam (in Hercule Oetaeo v. 1623.)

— — — Chaonis quondam loquax
Stat vasta late quercus.

Ac primis quidem temporibus plurimum Chaones pollebant dominationis auctoritate (1); postea vero Thesprotii. Cuius rei causa, non dubitandum est, quin fuerit melior vitae cultus. Thesprotios enim describit iam Homerus, ut qui Regem habeant, neque ignorent varium vestimentorum usum (2).

Non est igitur, quod miremur, illos e veteribus, qui Homerum pressius sunt secuti, posuisse Dodonam in Thesprotiorum dominio. Sic quidem princeps Lyricorum Pindarus (3), sic Euripides (4) et alii Dodonam et Numen, quod in ea praecipue cultum est, retulerunt ad Thesprotios.

Postquam vero regalis eorum potestas sensim

(1) Strabo, VII. p. 498. — Plinius, Hist. Natur. IV. 1. — Bongarsius ad Justin. Hist. XVII. 3.

(2) Homer. Odyss. XIV. 320.

(3) Pindarus ex edit. Heynii in fragment XIII.

(4) Euripid. in Phoeniss. v. 989. ibique Schol. — Confer. etiam Strabo, VII. p. 505.

sim deminuta esset et evanuisset (1); alius quidam populus, Molossi, quos Pyrrhus (2), Achillis filius, aut (secundum alios) pronepos, Ilio exciso, secum in Epirum duxerat, imperium protulerunt eoque ad maiorem nominis et gloriae celebritatem perducti sunt; quibus idcirco Dodona adsignari coepta est.

Atque ita Strabo, Stephanus Byzantinus, Martianus Capella, nec non et plerique eorum, qui recentiori aevo de hac una urbe scripserunt, eam referre solent ad Molossos.

---

(1) Thesprotios, tempore belli Peloponnesiaci, rege fuisse destitutos, patet e verbis Thucydidis (Lib. II. cap. 80.) Θεσπρωτοὶ ἀβασίλευτοι.

(2) Vid. Pindar. Nem. Od. IV. 85. et Nem. Od. VII. 56. ibique Schol. — Pausan. I. xi. — Plutarch. in Vita Pyrrhi, init. — Strabo VII. p. 503. — Cf. Mannert, l. l. p. 636.

§ 2.

De Dodona Duplici.

At enim, dicat forsitan aliquis, nonne fuerunt, qui duplicem statuerent Dodonam?

Sunt quidem, (1) fateor, et fuerunt. Illud iam innui, dicendo: *qui recentiori aevo de hac una urbe scripserunt.*

Sed hi omnes, quotquot aut sunt aut fuerunt unquam, ducti non rei natura, sed errore unius e commentatoribus Homeri, mea quidem sententia, minus recte statuerunt. Homerus scilicet, inducens Achillem, ut qui vota faciat pro salute Patrocli, (qui magna stipatus Myrmidonum cohorte in pugnam descendit cum Troianis), nobis eum proponit supplicantem Iovi Do-

(1) Vide, quos citat Creuzerus, l. l. Vol. II. p. 473. — Recentissime vindicavit hanc sententiam Nicolaus Bacchius, qui commemorat in nota ad eruditissimum libellum (de Solonis Atheniensis carminibus. — Bonnae 1825.) de memoria Oraculi Dodonaei, p. 50. ej. l.

Dodonaeo, (1) i. e. qui in urbe Dodonae domicilium suum habet.

Ex hoc Homeri loco collegit Philoxenus (2), cuius commentatoris sententiam plurimi deinde secuti sunt, duas olim fuisse Dodonas; Thessalam unam, alteram Thesprotiam, i. e. Molossam (3).

Quod, etsi male statueretur, habuit tamen, quo veri speciem prae se ferret.

Uti nempe apud universos ferme Orientales populos; ita quoque apud Graecos; ab antiquissimo inde aevo, habita sacra communia sunt pro maximo coniunctionis societatisque vinculo. Quum igitur magni hominum coetus, e variis familiis orti et diversis e regionibus profec-

(1) Homer. Iliad. XVI. 233.

(2) De Philoxeni scriptis vide, quae solerti industria collegit Koen. in praefat. ad Gregorium de Dialect. p. 19.

(3) Conf. Steph. Byzant. in Tom. VII. Thesaur. Gronov. (p. 281. ibique Gronov.) — Vid. Scholia (primum a Villoisono edita, nunc denuo repetita ab Imman. Bekkero) in Homer. Iliad. XVI. 233. — Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Delum, v. 284.

fecti, paulatim congregarentur in unam Graeciae partem; tum *dii patrii*, stirpium primo, deinde vicorum ac civitatum ibi constitui coeperunt.

Quo pacto evenit, ut postea unaquaeque fere civitas, Graeca scilicet, certos ac veluti proprios quosdam Deos haberet. Hinc Iupiter Eleus, Apollo Delphicus, Iuno Argiva, et sic porro.

Proinde poetae veteres Graeci, seu epici, seu dramatici, simulac inducerent heröes suos aut heroïnas, quas carmine celebrarent, petentes aliquid a Diis, vulgo se referebant ad hos, qui veniebant πατρῴων nomine (1).

Quod

(1) Huc pertinet, quod dicit Servius ad Virg. Aeneid. XII. 769. « Quia constat omnes in periculis suis Deos patrios invocare et ideo illis vota solvere, quorum familiarius Numen opitulari sibi credant." Servavit eleganter hunc morem Appianus (de Rebus Punic. VIII. 131.) apud quem Uxor Hasdrubalis: « Ἀσδρούβαν δὲ τόνδε, πατρίδος τε καὶ ἱερῶν καὶ ἐμοῦ καὶ τέκνων προδότην γενόμενον οἵτε Καρχηδόνος δαίμονες ἀμύναιντο." — Haec quoque respexisse mihi videtur Stephanus Byzantinus (p. 4. fragm. de Dodon. edit. in 4to.) qui refellens Philoxenum, ita loquitur: Ἐπικέκληται δὲ Ἀχιλλεὺς τὸν τῇ (sic enim legendum) Θεσσαλίᾳ γειτνιῶντα Θεὸν, ὡς καὶ ὁ Πάνδαρος (Homer. Iliad. Δ. 101.) εὔχεται τῷ Λυκηγενεῖ καὶ ὁ Χρύσης τῷ Σμινθεῖ.

Quod igitur quum cognovisset **Philoxenus**, profecto non mirum est, cum, coniectura ductum, e verbis Homeri exorta, duplicem suspicatum esse Dodonam.

Achilles enim, **Pelei**, Thessaliae Regis, filius, pronepos Iovis, quem alloqueretur alium, nisi Deum patrium? — a quo peteret opem, nisi a Deo, cuius habitaculum in ipsa esset Thessalia?

Philoxenus vero si reputasset, nullam antiquitus fuisse disiunctionem Epiri et Thessaliae (1), vanitatem, credo, suspicionis, quam protulit, ipse facile perspexisset.

Parvi tamen pretii aestimanda, imo pro nihilo putanda essent haec, quae dixerim, nec effugere mihi liceret culpam temeritatis, nisi maior testimonii veterum auctoritas mea ipsius verba confirmaret. Quam ob causam ea nunc subiiciam, quibus inductus, ita disserere institui.

He-

(1) Conf. **Heyne** in Excurs. II. ad Iliad. XVI.

T. H e r o d o t u s Halicarnassensis, scriptor veri amantissimus (1), qui de antiquissima Graeciae historia tam bene meritus est, inquirere voluit situm et rationem Oraculi Dodonaei. Quam animi cupidinem ut rite explere posset, statuit in eas ire terrae partes, ubi Oraculum illud constitutum dicebatur. Sic enim putavit facillime se exaudire posse, quid rei esset.

Itinere confecto, dedit operam, ut ea mandaret literis, quae aut ipse vidisset, aut a sacerdotibus Dodonaeis ipsis accepisset. — In iis autem, quae de Dodona eiusque oraculo apud illum inveniuntur, nulla extat mentio duplicis Dodonae.

Quis igitur, qui Historicorum fidem recte aestimare didicit, neque statuere velit H e r o d o t u m, quo animi candore est, ex industria conatum fallere posteritatem, quis putet eum, qui rem tam bene explorarit, praetermissurum

(1) De fide H e r o d o t i, eleganter, post Cel. de R h o e r, disputavit H. I. M e r x l o in Disput. de *vi* et *efficacia* Oraculi Delphici (pag. 9.), Traiect. ad Rhen. 1822.

rum fuisse alteram illam Dodonam, si alibi unquam fuisset?

Etenim quid tam est utile, quid commodius, quid magis necessarium iudicari potest, quam duarum urbium, quae in eadem fere sunt regione aut fuerunt (1), nomen gerentium idem, quum in una dignum aliquid visu audituve existat, hoc si cum inscio quodam communicare velis, ut accurate describas atque distinguas, utram harum significes? Quis hoc secius exspectet ab Herodoto, religiosissimo illo rerum, quas cognoverit, enarratore?

Haec si tenemus, quae mihi quidem videntur posse nec convelli, neque commoveri; profecto nos unam tantummodo Dodonam statuamus necesse est.

Quum autem sint, qui putent, in diiudicanda quaestione, tam ad testantis auctoritatem, quam ad multitudinem testimoniorum, quae in idem

(1) Sunt enim, qui dicant, Dodonam alteram illam Thessalam prius intercidisse, quam Dodona Molossidis inclaresceret.

idem consentiunt, adverti oportere; his, spero, satisfaciam sequentia addendo.

Strabo, sagacissimus philosophus (quod animadvertas, Lector! ad iudicandum de testimonii eius praestantia), qui vixit, Tiberio imperante, per magnam Orbis terrarum partem itinera fecit. Huius ad nostram memoriam monimenta manserunt praeclara; in quibus exposuit, quae sibi scitu cognituque digna viderentur. Loquitur autem in his de Dodona et Oraculo, quod illam illustravit celebravitque. Sed nullibi relatum legimus, fuisse et alteram urbem, quae idem nomen haberet.

Pausanias, qui floruit seculo post Christi natales secundo, iter item suscepit per magnam Europae et Asiae partem, ut adeo satisfaceret, qua vehementer flagrabat, sciendi cupidini.

Hic se quoque contulit in urbem Dodonae, ibique non stolida, sed sapienti ratione omnia perlustravit. Quicquid de hac urbe cognoverit, in praestantissimis suis scriptis, quae adhucdum supersunt, nobis reliquit. At vero

in

in illis etiam non plus unâ memoratur Dodonâ.

Denique non est praetereundum Stephani Byzantini, qui floruit saeculo post Christum natum quinto, pergrave testimonium; quippe quod res, de qua quaerimus, indicio huius viri ponatur extra omnem dubitandi copiam.

« Dodona, inquit, est urbs Molossidis in Epiro. Philoxenus autem, qui commentando explicuit Odysseam, duas memorat, Thessalam unam, alteram Thesprotiam. Sic etiam Epaphroditus in commentariis ad Iliada II.''(1)

Ex hisce Stephani verbis, uti et iis, quae apud eum plura sequuntur, abunde constat, eum nihil habuisse certi de Dodona gemina.

Atque haec satis multa mihi videntur, in quibus

(1) Vid. Schol. in Homer. Iliad. XVI. 233. — De Epaphroditi scriptis vide Etymolog. Magn. in voc. Γάργαρος, in voc. Ἄωροι et in v. Κεφαλλήνια — Vid. porro notam Thomae de Pinedo ad Stephan. Byzantin. in v. Βιθύνιον.

bus acquiesci potest, ne eadem de re plura enumerando defatigem lectores, quibus maxime nunc consultum esse volo.

---

§ 3.

Narratio, quam de Origine Oraculi Dodonaei protulerunt Sacerdotes Thebano — Aegyptii et mulieres fatidicae Dodonae. — Herodoti explicatio.

Exposita iam sententia mea de una Dodona eiusque situ; transeo ad alteram disputationis partem, ad quaestionem: de *Origine Oraculi Dodonaei.*

Herodotus, cuius consilium, quantum ad nos, supra iam explicui, non neglexit memorare, ex quibus initiis ortum sit oraculum Dodonaeum.

De Oraculis autem, inquit (1), quum de illo, quod

(1) Lib. II. cap. 54.

quod apud Graecos (Dodonae) est, tum eo, quod in Libya, hancce historiam narrant Aegyptii. Dixerunt sacerdotes Iovis Thebani, duas mulieres, templi ministras (1), Thebis olim abductas fuisse a Phoenicibus; compertumque esse alteram earum fuisse venditam ut in Libyam abduceretur, alteram ut in Graeciam; hasque esse mulieres, quae apud dictos populos Oracula primum instituissent.

Quum vero ex illis quaesissem, unde id, quod

(1) Sequimur coniecturam Cl. Valckenaerii, (in not. ad hunc locum) probatam a Larcherio, receptam a Schweighaeusero, et Mioto (*Histoire d'Herodote*, par A. F. Miot. — Parisiis 1823) nuperrime vindicatam a doct. Wichersio in thesibus Dissertationi (de *Coloniis Veterum* — Groningae 1825.) additis. — Uti hoc in loco confundi videntur ἱρηίαι et ἱρέαι, sic saepius confusa sunt ἱροί et ἱεροί, neglecta Ionismi lege. Vid. Lehman et Solanus ad Lucianum, Tom. III. p. 508. ex edit. Lehman. — Eodem fere modo confunduntur ἱερέας et ἱερείας apud Steph. Byzant. p. 8. edit. in 4. — ubi Valckenaerius (ad Phoeniss. Eur. p. 497.) emendari voluit ἱερίας. — Gronovius tamen (in Thesaur. tom. VII. p. 311.) emendavit ἱερείας.

quod commemorarent, tam accurate nossent, responderunt ad haec: magnam curam a se fuisse adhibitam ad investigandas mulieres, sed reperiri eas non potuisse; deinde vero compertum esse id, quod dixissent.

Ista igitur ex Thebanis audivi sacerdotibus; Dodonaeorum vero prophetissae haec narrant: duas nigras columbas Thebis Aegyptiis avolasse, earum alteram in Libyam, alteram ad se venisse. Et hanc quidem in fago residentem, humana lingua locutam, dixisse: instituendum ibi esse Iovis Oraculum. Dodonaeos igitur existimasse divinitus id sibi praecipi et ob id se ita fecisse. Illam autem columbam, quae ad Libyas abiisset, *dicunt*, iussisse illis, ut Ammonis Oraculum instituerent: est autem et hoc Iovis Oraculum.

Ita referebant Dodonaeorum sacerdotes (quarum natu maximae nomen erat Promeneae; proximae, Timaretae; minimae natu, Nicandrae). — Atque his consentiebant etiam alii Dodonaei, qui circa id templum ministrant.

Quibus de rebus ita mea fert opinio. Quod si

si revera Phoenices sacras mulieres abduxerunt earumque alteram in Libyam, alteram in Graeciam; videtur mihi haec altera in ea terra, quae nunc Graecia, olim vero Pelasgia vocabatur, vendita, ut in Thesprotiam abduceretur, servitutem servitura; deinde vero, quum ibi serviret, sub fago arbore (1) sacrum Iovi statuisse; quemadmodum consentaneum est, eam, quae Thebis in Iovis templo famulata esset (2), eo in loco, quo delata esset, memoriam illius servasse.

Deinde posteaquam illa linguam Graecam acceperit, oraculum ibidem instituit. Probabile est etiam dixisse eam, sororem suam fuisse venditam, ut in Libyam abduceretur, ab iisdem Phoenicibus a quibus ipsa. Quod autem columbae nominatae sint a Dodonaeis istae mulieres, ea re factum mihi videtur, quod barbarae es-

(1) Sequor explicationem Schweighaeuseri ad h. l.

(2) Lego cum Valckenaerio, Reiskio et Schweighaeusero ἀμφιπολεύσασαι.

essent; eo enim visae illis sunt simile quiddam avibus sonare. Post aliquod tempus autem humana voce, aiunt, locutam esse columbam; *scilicet*, postquam, quae ipsi intelligere possent, mulier loquuta est. Quod vero barbare loquebatur, avium more sonum edere illis visa erat. Nam columba quo modo humana lingua loqueretur? Quod vero *nigram* fuisse dicunt columbam, significant Aegyptiam fuisse mulierem.

---

§ 4.

Verisimilitudo explicationis ab Herodoto factae.

Sane quidem, hercule, quum ad literam omnia caperemus, quae hac de re tradita sunt a Dodonaeorum prophetissis; tot tantosque Gordios quasi nexus offenderemus, quibus solvendis vix Alexandri Magni sufficeret gladius. Sed tamen, si nobis in memoriam revoca-

ca-

caverimus, apud unumquemque fere populum, humanitatis cultu non iam exornatum, primas et antiquissimas rerum narrationes ambagibus involutas esse; atque hoc inprimis locum habuisse apud Graecos, qui, sive ingenio loci, quem incolebant, sive aeris temperie, qua circumfundebantur, sive aliis de caussis proni erant ad *nova* et *mira* (1); reperiemus iidem nos, altius perspicientes, narrationem ex hoc verborum involuero atque integumento evolutum iri persimplicem.

Prius igitur me applicabo ad ductum Herodoti in enodanda Dodonaeorum narratione, paucisque verbis probabilitatem explicationis Herodoteae ostendere volo; deinde meum ipsius iudicium interponam; posthac vim testimonii, quod sacerdotes Thebano-Aegyptii ea de re protulerunt, confirmare statutum est iis, quae ex historia huc referri possint. Omnia tamen, quam brevissime potero, persequar et attingam.

Quod

(1) Vid. sup. p. 16.

Quod ad opinionem Herodoti: *mulieres istas a Dodonaeis eam ob causam dictas esse columbas, quod, utpote barbarae, simile quiddam avibus sonare illis visae sunt.*

Neminem quidem nostrum, non plane hospitem atque peregrinum in monimentis poëseos, quae, sive e plagis Orientalibus ad nos pervenerint, sive Occidentalibus, ignorare arbitror, mulieres praestantes et eximias, earumque attributa corporea saepius comparata esse compararique cum columbarum specie ac formâ (1).

Iam vero, uti hac in re similitudo quaedam ac conformatio figurae, quae oculis percipi posset, originem dederit huic comparationi; sic et convenientiam quandam soni, ex ore prolati, in causa fuisse cur mulieres istae Theba-

(1) Sic apud Lycophronem (in Cassandra v. 103.) Iphigenia et Hermione conferuntur cum columbis, et (v. 357.) ipsa Cassandra nomine vocatur *φάσσας* i. e. *palumbis.* — Confer. Horapoll. Hieroglyph. II. 32. — et acutiss. Jacob. Trigland. in Coniectan. de Dodona (Tom. VII. Thesaur. Gronov. p. 324.)

bano - Aegyptiae conferrentur cum columbis et hinc ita vocarentur, haud incredibile est.

Quod quanquam prope verum videatur, dicere tamen non ausim, nisi et probare possem, vocem humanam (a *dictione* aliquantummodo deflexam) vere collatam esse hodieque conferri cum illa, quam proferunt aves.

Ita nempe Troglodytae Aethiopes (hodie Tibboe's) dicuntur, in loquendo fritinnientes imitati esse imitarique pipatum pullorum. Sic etiam homines, qui proferrent sonos ignotos et inconditos, avium more loqui, apud Graecos, dicebantur (1).

Praeterea illud observare licet, in voce columbarum esse aliquid querulum et gemebundum

---

(1) Non nesciri, puto, proverbium *ὄρνιθος τρόπον φθέγγεσθαι* quod Graeci contulerunt in eum, qui inconditos et ignotos sonos effutiret (Vid. Schol. ad Aristoph. Aves v. 1680. — Hesychius in voc. *χελιδόσι*, ibique script laud. a Verwey. — Conf. et Aeschylus in Agamemnone v. 1048. ibique Schutz. — et John Gillies, History of Ancient Greece, p. 27. (edit. Londin. 1825).

dum (1); iam vero mulieres istas, abreptas e patria, servitutis iugo oppressas, vicem suam deflevisse ac luxisse, mirum nobis accidere non potest.

Sic omnino ex hac quoque parte non sine iusta causa vox columbarum ipsis tributa videtur.

---

§ 5.

Auctoris Iudicium.

Tametsi verbis Herodoti circumdari posset hoc tali modo aliqua veri species, praeferenda ta-

---

(1) Hinc saepius apud poëtas Latinos *gemere* dicuntur columbae. Virg. Eclog. I. 58.

Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec *gemere* aëria cessabit turtur ab ulmo.

Ibi vid. Servium et Mancinellum. — Quae si meminerimus, refellitur simul obiectio, quae fieri possit: *cur columbae, non alii cuidam avi comparatae sint mulieres istae Thebano-Aegyptiae?*

tamen explicatio, quam nunc proponam, mihi quidem esse videtur.

Apud omnes scilicet populos significatio, quam continent verba, oritur ex usu, quem pepererint mores et consuetudo. Quo magis vero remoti sunt populi ab ampliore linguae cognitione, eo plures quoque notiones in iisdem verbis ponere solent (1). Unde fit ut verborum, quae significatum olim extensiorem admitterent, vis et natura male saepius intelligatur a posteris (2). Hoc vero accidisse quoque rei de qua sermo nunc est, facile mihi persuaderi patior.

Vocabulum scilicet illud Graecum (πελειάς), quod Latine exprimitur *columba*, quodque omnem huius narrationis sententiam conturbat, de-

(1) Quo circa iam a priori (uti vulgo dicitur) concludere possumus, in omnibus linguis verba esse debere, quae plus una significatione recipiant. — Videatur hac de re docte disputans, uti solet, Thom. Gatakerus in Oper. Critic. p. 852. F.

(2) Quod ad linguam nostram Belgicam attinet, videatur hac de re Cl. Siegenbeekius in Oper. Societ. Batav. Tom. V. p. 236. seqq.

denotavit antiquitus, inprimis apud Thessalos et Molossos, mulierem vaticinatricem (1).

Hinc posteriores Graeci, ignorantes vel alieni (2) potius a prisca huius verbi significatione, excogitasse videntur ridiculum illud commentum, quo statuerent, columbas artem vaticinandi exercuisse in urbe Dodonae (3).

Percommode autem accedebat ad corroboran-

(1) Vid. Eustath. ad Odyss. Homer. XIV. 327. — Schol. Sophocl. ad Trachin. v. 172. — Hesychius in v. Πέλειαι. — Dan. Heinsius in eruditissima nota ad Silium Italic. III. 678. — Serv. ad Virg. Eclog. IX. 13. — et Cl. Sallier in Memor. Academ. Inscript. Tom. V. p. 35. — Non negare tamen ausim, alteram huius verbi (πελείας) significationem, qua deuotat mulierem vaticinatricem, inde ortam esse, quod prima Oraculi Dodonaei sacerdos hoc nomen haberet, aut, quod canis esset capillis (Vid. Valcken. ad Euripid. Phoeniss. p. 497.).

(2) *Alieni*, dico, quod iis placebant mirifica, e. g. in explicandis nominibus propriis Πελασγοί, Μυρμιδόνες, Πυγμάιοι, Δρύοψ et aliis.

(3) Romanos, tempore Severi et Caracallae, adoo tandem delectatos fuisse mira hac fabula, ut eam et nummis incuderent, quis est, qui miretur? — (Vid. Joseph. Eckhel in *Doctrina Numorum Veterum* Vol. II. p. 582. —)

randam probabilitatem huius figmenti, quod πέλειαδες istae dicebantur fuisse nigrae; quandoquidem apud Graecos albae plumis columbae primum visae sint (ut Historiae scriptores tradunt) cum exercitus Persarum, duce ac principe Mardonio, in Graeciam irrueret (1).

De reliquo, si verum est, res illustrari exemplorum auctoritate, adiungam aliud quoddam simile fictionis exemplum, ne res egeat exemplo et ut confirmetur fides explicationi meae.

Nomen illud divulgatissimum Semiramidis, praeterquam quod esset nomen proprium, significabat etiam *palumbam s. columbam feram montanamque* (2).

Ex

(1) Athenaeus Lib. IX. p. 394. Χάρων δ' ὁ Λαμψακηνὸς, ἐν τοῖς Περσικοῖς περὶ Μαρδονίου ἱςορῶν καὶ τῦ διαφθαρέντος ϛρατοῦ Περσικοῦ περὶ τὸν Ἄθω, γραφεῖ καὶ ταῦτα. « Καὶ λευκαὶ περιστεραὶ τότε πρῶτον εἰς Ἕλληνας ἐφάνησαν, πρότερον ὐ γιγνόμεναι." ibi vid. Casaubon. in Animadvers. Cap. XI.

(2) Vid. Doctiss. I. C. F. Baehr in not. ad Ctesiae Operum Reliquias, p. 415. — et Hesychius in v. Σεμίραμις.

Ex eo effinxerunt Graeci, quos iuvabat amphibolia verbi, Semiramidem, Assyriorum reginam conversam esse in columbam (1).

Quae cum et longissime abhorrent a vero, tum ipsa me ratio, quam huic rei arbitram adigo, in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem πελειάδας istas fuisse mulieres (2); nomen autem, quod haberent, fecisse ut commutarentur cum περιστεραῖς i. e. columbis (3).

---

§ 6.

---

(1) Diodor. Lib. II. 20. ibi vide, quos laudat Wesseling. — Alii sunt fabulati columbas nutrivisse Semiramidem; quod idem, ludentes verbo πελειάδες, narrarunt Graeci de Iove (Vid. Wyttenb. ad sympos. Plutarch. p. 156 — et Gabriel de Petra ad Longinum περὶ Ὕψους p. 70. edit. Toll. —)

(2) *Pelias* fuisse nomen mulieris fatidicae Oraculi Dodonaei patet e verbis Servii (ad Aeneid. III. 466.) — Conf. Pausanias Lib. X. cap. 12. qui loquitur de Πελείαις ac si essent mulieres vaticinae. — Πελειάδες fuisse nomen filiarum Reginae Amazonum, notat Schol. ad Theocrit. Idyll. XIII. 25.

(3) Sic legimus apud Dion. Halicarn. (I. 14.) « Ὀ-

§ 6.

Confirmatio testimonii Sacerdotum Thebano-Aegyptiorum.

Dixerunt sacerdotes Iovis Thebani, inquit Herodotus, *duas mulieres, templi ministras, Thebis olim abductas fuisse a Phoenicibus; compertumque esse alteram earum fuisse venditam, ut in Libyam abduceretur; alteram, ut in Graeciam; hasque esse mulieres, quae apud dictos populos oracula primum instituissent.*

Phoe-

---

a "Ὁ δὲ τρόπος αὐτοῦ (χρηστήριον) παραπλήσιος ἦν, ὥς φασι, τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ ποτὲ γενέσθαι πλὴν ὅσον ἐκεῖ μὲν ἐπὶ δρυὸς ἱερᾶς καθεζομένη περιστερὰ θεσπιῳδεῖν ἐλέγετο." — Ipsas πελείας saepius easdem fuisse habitas ac περιστερὰς notat Cl. Peerlkamp in Biblioth. Critic. Nov. Vol. I. p. 111. — Graecos, postquam accepissent narrationem de *columbis*, Dionem etiam seu Venerem in contubernium templi Iovis Dodonaei recepisse, nemini mirum videri potest. (Strabo VII. p. 506. — Servius ad Virg. Aeneid. III. 466.).

Phoenices iam ab antiquissimis inde temporibus excelluisse studio navigationis et mercaturae atque praecipuum quoddam lucrum quaesivisse e rapiendis vendendisque, mercedis instar, hominibus, novimus ex historia tam sacra (1), quam profana (2).

Huc inprimis pertinet, quod apud Herodotum, locupletem illum auctorem atque testem, de hac re scriptum invenimus.

Phoenices scilicet, cum appulissent (olim) Argos, ibi mercimonia sua exposuisse; quinto sextove die, quo appulissent, feminas ad mare venisse, cum alias multas, tum etiam regis filiam, cui nomen esset Iö.

Dumque hae feminae ea mercarentur, quae sibi maxime placerent, Phoenices subito in eas

---

(1) Vid. Ioël III. 6. — Amos I. 6—9.

(2) Vid. Homer. Odyss. XIV. 297. ubi Ulysses narrat Eumaeo se fuisse venditum a viro Phoeniceo. Iam apud Pindarum (Pyth. II. 125.) dicitur, proverbii instar, κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολάν. — Caeteroquin conferatur Goguet. Orig. Leg. Art. Scient. Tom. I. p. 302. II. 259. — Heeren Ideen Tom. II. pag. 128. belg. edit. — K. O. Muller. (l. l.) p. 326. —

eas impetum fecisse et Iö cum aliis abduxisse (1).

Hunc itaque in modum, quin mulieres istae quoque Thebano-Aegyptiae a Phoenicibus abductae sint, earumque altera in Libyam, altera in Thesprotiam, non est, cur valde dubitemus (2).

§ 7.

De tempore, quo altera illa mulier Thebano-Aegyptia venit in Thesprotiam.

Perdifficile saepe est statuere in iis rebus, quae ab nostra memoriā propter vetustatem remo-

(1) Herodot. Lib. I. initio.

(2) Multos, scio, Viros Doctos dubitasse de veritate narrationis, quam refert Herodotus. At vero; (quod commonendi gratia dico) unde, nisi fidem habeamus huic narrationi, explicare licet similitudinem, quae intercederet (uti testatur Herodotus) inter duo illa oracu-

motae sunt, certum aliquid et definitum; praesertim, ubi historia, quae lumine suo diffundere obscuritatem et tenebras deberet, nos plane incertos dimittit.

Id denuo experior in voluntate circumscribendi tempus, quo mulieres istae a Phoenicibus abreptae sint.

Ne tamen, exacta nunc collecta, plane asymbolus abeam, libere conferre volo, si quid praebere possim. Phoe-

---

cula, et illud apud Thebas Aegyptias et hoc apud Dodonam? — Aegyptios enim hac in re mutuatos esse pleraque a Graecis, vix tuto statuere possumus, reputantes, quanto opere spernerent olim Aegyptii aliorum religionem populorum. — Vid. Comment. ad Iuvenal. XV. 35

> Ardet adhuc Ombos et Tentyra. Summus utrinque
> Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
> Odit uterque locus, quum solos credat habendos
> Esse Deos, quos ipse colit. — — —

Quod attinet ad verba Herodoti, quibus Herodotum refellere conantur: *Consuluisse Pelasgos apud Dodonam, nunquid nomina, quae a barbaris advenissent, adsciscerent, oraculum redditum est, ut illis uterentur.* Haec sic intelligo: (uti et posthac patebit) Oraculum in urbe Dodonae fuisse conditum in honorem Numinis, quod, apud Pelasgos, a principio nondum haberet nomen *Iovis.*

Phoenices primam in Graeciam expeditionem fecerunt tempore Inachi; uti diserte narrat Herodotus(1). Inachus autem, primus Argivorum Rex, vixisse dicitur circa annum a. C. N. 1800. Non prius igitur altera illa mulier Thebano-Aegyptia devenit in Epirum.

Nobis porro attendentibus ad aliam traditionem, quae cum historia Oraculi Dodonaei arcte cohaeret, licebit, ut puto, accuratius definire tempus, de quo quaerimus in hac causa nostra.

Secundum eam quidem traditionem, Deucalion ipse condidisset, admonitu columbae, sedentis in quercu, Oraculum, quod fuit in urbe Dodonae (2).

Quae ut congruere possint cum narratione, quam

(1) Herodot. Lib. I. init.

(2) Schol. ad Homer. Iliad. XVI. 235. — Inclytum Iovis Dodonaei templum, in quo consulebatur etiam de rebus futuris (vid. Iustin. Histor. XVII. 3.), quo fere tempore constitutum sit, nondum satis scio. Illud ab Aetolis duce Dorimacho destructum esse Olymp. CXL. 1. narrat. Polybius (IV. 67.).

quam ex Herodoti scriptis protulimus, sic videntur explicanda esse.

Mulier, quam Thebis Aegyptiis abduxerunt Phoenices, appulit in Epirum, quo tempore Deucalion accessit ad imperium.

Illa vero, consecratura memoriam institutorum patriae religionis, admonuit Pelasgos (quorum praecipua sedes tum erat Dodona (1),) ut in eo loco, ubi quercus erat (2), (scilicet in ra-

(1) Conf. Dion. Halicarn. I. 18.

(2) Causa, cur Numini Supremo dicarentur quercus (conf. Maxim. Tyrius Dissert. VIII. 8.) inde peti posse videtur, quod fama longe lateque divulgasset Iehovam apparuisse Abrahamo inter quercus. — (Genes. XVIII. 1.) — Caeterum cur arbor ista Dodonaea, quae *Quercus* δρῦς dicitur apud Homer. (Odyss. XIV. 328. XIX. 197.) apud Aeschylum (Prometh. Vinct. v. 831. — edit. Schutz.) — Platon. (in Phaedr. p. 242. edit. Ast.) Strabon. (VII. p. 505.) — Pausan. (VIII. 23.), non eodem, sed φηγοῦ nomine inveniatur apud Hesiodum (vid. schol. ad Sophocl. Trachin. v. 1169.) apud Orpheum (Argonautic. v. 264, 1154.) apud Herodotum (Lib. II. cap. 55.) apud Euphorionem (in fragm. Stephan. Byzantin.) apud Lucianum (Ὄνειρος ἢ Ἀλεκτρυών init.) et alios; hinc profluxisse videtur, quod φηγὸς (a φα-

radicibus montis T o m a r i, alias T m a r i aut T o m u r i (1) statuerent Oraculum in honorem Numinis supremi (2).

Hoc autem posito atque concesso, nos et me-

φαγεῖν) antiquitus dicebatur de *quercu*, ut primo et praecipuo hominum nutrimento. — Vid. Cl. C r e u z e r. Symbolik. u. Mytholog. Tom. II. p. 476. in not. — Huic adde E u s t a t h. ad H o m e r. Odyss. XIV. 327. — D i o n. H a l i c a r n. de Arte Rhetoric. I. 6. et Comment. ad L u c a n u m Pharsal. VI. 426.

— — — primis quid frugibus altrix
Aere Iovis Dodona sonet.

(1) Confer. S t r a b o VII. p. 505. — P l i n i u s Histor. Natur. IV. 1. — C e l l a r. Geogr. Antiq. II. cap. 13. — P a l m e r in Graecia Antiq. p. 529. —

(2) Ex Aegyptiis solos Thebaidos incolas unicum Deum mundi architectum, nomine Κνήφ vel Κνοῦφις, coluisse, cuique satis notum est. — Conf. G. J. V o s s i u s. de Orig. ac Progr. *Idololatriae*, p. 13. edit. in fol. — Quanquam Pelasgi eo animi sensu ducti, quem nobis ingeneravit natura, Numen quoddam iam coluerint ante adventum mulieris Thebano-Aegyptiae (H e r o d o t. II. 52.); mulier tamen ista primum restrinxisse religionem, ut ita dicam, *obiectivam* i. e. *externam* ad certas quasdam formas videtur.

melius et propius definire possumus annum, quo conditum est Oraculum Dodonaeum.

Deucalion enim coepit regnare circa annum 1539. a. C. N. (1).

---

(1) Ne mihi obiiciant, Inachum iam consuluisse (teste Aeschylo in *Prometh. vinct.* v. 658.) Oraculum Dodonaeum. Aeschylus fuit poeta.

— — — — Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Praeterea observemus licet, Scholiastem ad h. l. incusasse iam Aeschylum anachronismi.

CA-

CAPUT II.

DE ORACULI DODONAEI MINISTRIS ET RITU DIVINANDI.

§ 1.

De Vatibus.

Vidimus de Oraculo. Nunc alienum non erit loqui de eius ministris.

In his distribuendis, duas statuemus classes; unam, superiorem; inferiorem, alteram.

Ad superiorem referimus vates (προφήτας); ad inferiorem, interpretes vatum (ὑποφήτας). —

Quod ad vates Oraculi Dodonaei. — Magna est dissensio inter viros doctos de eo, num prin-

cipio mulieres, an vero viri in Sacrario isto vaticinati sint.

S t r a b o quidem, scriptor gravissimus, uti supra iam dixi, huic opinioni favet (1). H e r o d o t u s vero, cuius testimonium non minoris est pretii, facit (2), ut contraria omnino sententia praeferatur.

Ut igitur liquidius de tota re iudicari possit, considerabimus vim et fundamentum testimoniorum utriusque, nempe S t r a b o n i s et H e r o d o t i.

S t r a b o (quem, ut nobis adversarium in hac causa, primum adducimus) sic loquitur: « Initio quidem viri fuerunt, qui futura praedicerent: quod ipsum poëta (H o m e r u s) videtur significasse, qui interpretes Dei nominat, quibus et fatidici comprehenduntur. Subsecutis aliquanto post temporibus tres anus sunt ad hoc ministerium designatae.

Locus H o m e r i, e quo confici putavit S t r a b o, primis temporibus in Sacrario Dodonaeo viros fuisse vates, sic sonat:

Ζεῦ

(1) S t r a b o VII. p. 506.
(2) H e r o d o t. II. 54.

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε (1), Πελασγικὲ, τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου· ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι (2)!

Verum enimvero unicuique nostrum, accuratius consideranti verba Homeri, satis liquere putem, Strabonem minus bene interpretatum esse vocabulum illud ὑποφῆται, quod proprie dicebatur de iis, qui, quae nimis obscure praenunciavissent προφῆται i. e. vates, ea magis dilucide exponerent atque ad communem captum accommodarent (3). Namque ut Gramma-

(1) De nugatoria huius verbi interpretatione, quam excogitavit Cleanthes, videatur Plutarchus in libello: πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν, p. 127. ex edit. Wyttenb. — p. 70. edit. Krebsii.

(2). Homer. Iliad. XVI. 233.

(3) Vide, quae docte disputat Iacob. Gronov. (in Thesaur. Tom. VII. p. 285.) cuius verba, pro parte saltem, huc adducam. « Primo igitur Homerus Sellos illos sic vocat ὑποφῆτας. Quomodo quum loquatur Homerus atque is scriptor sit omnium antiquissimus, concludit Strabo viros primis temporibus fuisse in isto horrendi veteratoris auditorio interpretes, non foeminas. . . . . ."

Iam

matici poëmatum, sic ὑποφῆται erant explanatores vaticinationum (1).

Ex Herodoti verbis (quorum mentio supra habita est) nos quidem hoc discimus, unicam ab initio solam mulierem sacerdotem fuisse Oraculi Dodonaei, deinde vero tres, quot numero ipse consuluit Herodotus, cum esset in urbe Dodonae.

Pensantibus nobis igitur pondus argumentorum, quibus, ad causam suam obtinendam, ambo utuntur, manifesto apparet, confirmatione egere verba Strabonis, Herodoti non item.

Ne tamen videar, partium quarundam studio occupatus, nimis enixe favere Herodoto; apponam aliud quiddam, quo apertum iam ac per-

«Iam vero nos quidem praestare non possumus, prout singuli scriptores voce illa ὑποφήτης abuti voluerint, et ei numerum locumque dare vocis προφήτης, atque adeo eandem significationem concedi utrique......"

«Sed tamen hoc quoque constat Homerum potuisse hic scribere προφῆται, si aut voluisset, aut earundem virium vocabula esse censuisset ὑποφήτης et προφήτης."

(1) Cic. de Divin. I. 51.

perspicuum fiat, cur minor Straboni tribuenda sit fides.

Nemo quisquam e veteribus (1), qui aut casu aut consulto locuti sint de Oraculo Dodonaeo eiusque ministris, nemo, inquam, praeter Strabonem, tradidit, viros ab initio vates Oraculi Dodonaei fuisse constitutos.

Solis tantum Boeotiis, sequenti tempore, Dodonae, viri oraculum reddiderunt. Quod quare factum sit, ita narrat Strabo: « Thraces,

(1) Vid. Plato in Phaedr. p. 165. edit. Ast. — Diodor. Sic. XIV. 13. XV. 72. ubi legendum suspicor αἱ Δωδώνιαι ἱέρειαι pro αἱ Δωδωνίας ἱέρειαι. — Plutarch. in Phocion. cap. 28. — Idem in Lysandr. cap. 25. — Pausan. X. 12. — Haud me fugiunt verba *Scholiastae* (ad Hephaestionem, p. 158. edit. Gaisfordii.) ubi legitur: «Ἐκλήθη δὲ (pes Molossus) ἀπὸ Μολόσσου τοῦ υἱοῦ Πύῤῥου καὶ Ἀνδρομάχης, ᾠδὰς ἐν τοιούτῳ μέτρῳ εἰπόντος ἐν τῷ ἱερῷ Δωδώνης," haec autem verba varie intelligi posse, nemo non videt. — Idem dicendum de verbis Herodoti (Lib. IX. 93) et Pausaniae (I. 36.) «ἀνὴρ μάντις ἦλθεν ἐκ Δωδώνης; et Maximi Tyrii (XIV. 1.) Θεσπρωτὸν ἄνδρα ἐν Δωδώνῃ. — Origenem (contra Celsum p. 336. edit. Spenceri) errasse errorem Strabonis, ostendit Iacob. Gronovius l. l.

ces, pactis cum Boeotiis induciis, noctu eos, ut qui, pace facta, castra negligentius tutarentur, adortos fuisse: profligatosque ab iis, simulque, quod inducias violassent, culpatos, id abs se factum negasse; pactos enim dierum inducias, noctu adortos esse, atque inde natum proverbium: Thracium commentum. Pelasgos, durante adhuc bello, abiisse ut Oraculum Dodonaeum(1) consulerent, idem Boeotios etiam fecisse.

Ac Pelasgis quidem quid responsum fuerit, fatetur (Ephorus), sibi non constare. Boeotiis autem antistitam respondisse, rebus usuros secundis, si impie agerent. Qui vero missi erant sciscitatum, suspicatos vatem in gratiam Pelasgorum, qui eius gentiles essent, (nam ab initio sacrarium erat Pelasgicum(2)) sic respondisse, correptam illam in rogum conic-

(1) Textus, qui dicitur, non exprimit, quodnam oraculum sit adhibitum in consilium; scimus autem ex *Bibliotheca* Photii, fuisse Dodonaeum. (Vid. Photii Biblioth. ex recensione Immanuelis Bekkeri. Tom. II. p. 321.)

(2) Vid. Supr.

fecisse; quod sic ratiocinarentur, sive praevaricata sit (1), sive non, utrimque se bene habere facinus, (quod patravissent). — Nimirum ea, siquidem oraculum mala fide edidisset, supplicio affecta: sin vero nihil fraudis commisisset, a se id factum esse, quod iussi erant.

At vero, iis, quibus sacrarii cura erat, indicta causa interficere auctores huius facinoris, idque in sacrario, non placuisse; eos autem rem ad iudicium detulisse, cuius faciendi potestatem tribuerent reliquis duabus mulieribus fatidicis; solebant enim tres esse. Boeotis autem causantibus nullibi leges mulieribus iudicium permittere, totidem eis viros fuisse adiun-

(1) Verba *περὶ τῶν γυναικῶν δικαστῶν* irrepsisse in contextum, omninoque esse tollenda, persuasum mihi habeo. — In editione Gallica S t r a b o n i s, cui titulus est: Géographie de S t r a b o n, traduite du Grec en Francais. Tom. III. p. 402. sic vertitur: « Qu'elle ait ou n'ait point prévariqué, se diront ils, nous serons réputés, fut-ce *au tribunal des femmes-juges*, (num *παρὰ*?) l'avoir traitée comme elle méritoit: dans le premier cas, elle aura été punie; dans le second, nous aurons suivi son Oracle."

iunctos. Porro viros absolvisse, mulieres damnasse; cumque essent aequales sententiae numero, absolventes vicisse: ex eo receptum, ut in urbe Dodonae solis Boeotiis viri Oracula redderent (1).

§ 2.

De Interpretibus Vatum.

Postquam igitur, moniti praeceptis mulieris Thebano-Aegyptiae, Pelasgi instituissent oraculum Dodonaeum (2), eius curam gerere coeperunt inprimis Selli (3). Uti enim apud Thra-

(1) Strabo VII. p. 616.

(2) Vide, quae supra dixi. — Conf. Strabo VII. p. 504 — et Scymnus, (in Geogr. Minor. ex edit. Hudsonii) ubi legimus

— — — ἔστι Δωδώνη Διὸς
Μαντεῖον. ἵδρυμ' ἐστὶ δ' οὖν Πελάσγικον. —

(3) De Sellis vide praeter eos, quos supra laudavi, Hesychium in voc. Σελλοὶ ibique Cl. Alberti. — Valc-

Thraces e Satrarum medio eligebantur Bessi, qui in templo Dionysi vaticinarentur (1); sic apud Epirotas e Pelasgorum multitudine delecti sunt Selli, qui prospicerent Oraculo Dodonaeo, locum obtinentes τῶν ὑποφητῶν (2).

Hi vero Selli, quum horridam et agrestem agitarent vitam, ut qui in montibus vivebant, hu-

---

Valckenaer. in Diatrib. in fragm. var. dramat. p. 170. seqq. — Larcherus ad Herodot. II. 55. — A. H. Niemeyer in not. ad Homer. Iliad. II. 234. — De Brosses in Memoriis Academiae Inscriptionum, Tom. XXXV. — His adde Aristotelem in Meteorolog. (I. 14.) — quem tamen locum Aristoteli abiudicat Cl. Bruining (in Tom. III. Act. Liter. Societ. Rheno-Traiectin.) —

Quod ad ista verba Antonini Liberalis (cap. IV.) πολεμήσαντας γὰρ αὐτῷ Κελτοὺς καὶ Χάονας καὶ Θεσπρώτους, ubi Magnus Hemsterhusius emendavit Σελλοὺς — nihil adhucdum affirmare audeo, cum ne ullam quidem lectionis varietatem in codicibus invenisse videatur doct. Bastins (Epistol. Critica ad Boïssonnade p. 112.).

(1) Herodot. VII. cxi.

(2) Homer. Iliad. XVI. 235. — Valckenaer, in Diatribe ll.

humi somnum capiebant, nunquam pedes lavabant (namque

Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset)

nominari coeperunt Ἀνιπτόποδες, Τομοῦροι et Χαμαιεῦναι (1).

Eos de possessione sua mature iam depulsos esse, paulatimque eorum memoriam abolevisse, inde colligitur, quod de iis nihil, nisi coniectando, tradere potuerint veteres, quos Grammatici in consilium adhibuerint (2).

§ 3.

(1) Homer. Il. — Heyne in Excursu II. ad h. l. — Strabo VII. p. 506. — Davisius ad Maxim. Tyrium Dissert. XIV. p. 547. edit. Markland. — Potter ad Lycophronis Cassandr. v. 223. —

(2) Heyne Il. —

§ 5.

De ritu divinandi per quercum.

Modis valde variis divinationes artificiales peractae sunt in urbe Dodonae (1).

Memorantur enim, quae fierent e susurru foliorum quercus; e murmure fontis, iuxta istam arborem; ex ahenei lebetis tinnitu, et e sortibus.

Antiquissimae tamen et celeberrimae apud Graecos famae fuit ea divinatio, cuius in causa erat quercus.

Ulyssem enim iam consuluisse quercum de ratione temporis futuri, novimus ex ipsis Homeri verbis:

Τὸ,

(1) Respicere me distinctionem divinationum, quam fecerunt Stoici, non est, quod moneam. (Vid. Plutarch. in vita Homeri p. 1238. edit. Wyttenb. et Cicero de Divinat. I. 6. 18. 23. 49. II. 11.)

Τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα Θεοῖο
Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Δίος βουλὴν ἐπακούσῃ,
Ὅππως νοστήσῃ Ἰθάκης ἐς πίονα δῆμον (1).

Ar-

---

(1) Homer. Odyss. XIV. 327. seqq. et XIX. 296. sqq. — Saepius apud veteres, seu poëtas, seu prosae scriptores, iniicitur mentio de unâ aut pluribus quercubus loquentibus.

Sic apud Aeschylum (Prometh. vinct. v. 832.)

— — — αἱ προσήγοροι δρύες.

apud Sophoclem (in Trachin. v. 1170.)

πρὸς τῆς πατρῴας καὶ πολυγλώσσου δρυὸς.

Memorabilia sunt, quae dicit Socrates apud Platonem (in Phaedro p. 242. edit. Ast.): « Οἱ δέ γ' ὦ φίλε, ἐν τῷ τοῦ Διὸς τοῦ Δωδωναίου ἱερῷ δρυὸς λόγους ἔφασαν μαντικοὺς πρώτους γενέσθαι. τοῖς μὲν οὖν τότε, ἅτε οὐκ οὖσι σοφοῖς, ὥσπερ ὑμεῖς οἱ νέοι, ἀπέχρη δρυὸς καὶ πέτρας ἀκούειν ὑπ' εὐηθείας, εἰ μόνον ἀληθῆ λέγοιεν. — Confer. Lucianus ll. — et Pausanias ll. — Davisius ad Maxim. Tyr. ll. —

Seneca in *Hercule Oetaeo* v. 1473. ubi Hercules dicit:

— — — Quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat. —

et v. 1623. ubi Philoctetes:

— — — Chaonis quondam loquax
Stat vasta late quercus. —

Valerius Flaccus (in Argonautic. I. 304.)

— — — nec fatidicis avellere silvis. —

ibi vid. Carrion. — et Delrius ad ll. Senecae —

et

Arbor autem ista, vetusto aevo, non integra tantum, sed etiam concisa praedixisse dicitur. Hinc apud Orpheum in Argonaut. v. 294.

> Δὴ τότ' ἐπιβρομέουσα Τομαριὰς ἔκλυε φηγὸς,
> Ἥ οἱ ὑποτροπίην Ἄργος θέτο νηὶ μελαίνῃ,
> Παλλάδος ἐννεσίῃσιν.....

et

---

et Jacob. Trigland in Coniectan. de Dodona, p. 324. — et de Brosses ll.

Quod ad miraculum loquelae istius arboris vel arborum; haec intelligenda videntur de arbore, extrinsecus ita commota, ut sonitum ederet.

Sic apud Catullum (Dedicatio Phaselli. vs. 11.

> — — — nam Cytorio in iugo
> Loquente saepe sibilum edidit coma.

apud Virgilium (Eclog. VIII. 22.

> — — — argutumque nemus pinosque loquentis
> Semper habet. — —

Sic etiam eleganter apud Graecos dicitur de arboribus, vento agitatis, ᾄδειν (Moschi Idyll. V. 8.) ψιθυρίζειν (Schol. ad Theocr. Idyl. I. 1.). — Facilius (more scilicet patrum Ecclesiasticorum) explicatur causa huius miraculi a Niceta (in Commentar. ad S. Gregorium Nazianzen. (edit. Coloniae, 1690. Tom II. p. 1018.) «Iam vero in Dodonaea civitate quercus erat mirae proceritatis ac pulchritudinis, quam Daemon inhabitans, garrulam fatidicamque reddebat." —

Et v. 1154.

— — — — — — ἐκ δ᾽ ἄρα κοίλης

Νηὸς ἐπιβρομέουσα Τομαριὰς ἔκλαγε φηγὸς,

Ἤ ποθ᾽ ὑπ᾽ Ἀργώεσσι τομαῖς ἡρμόσσατο Παλλάς (1).

Ad postremum vero Lacedaemonii (2), aut (secundum alios) latro Illyrius quidam (3) excidi iussit quercum istam celebratissimam Dodo-

(1) Confer. Apollon. Argonaut. IV. 580 — Apollodor. Bibliothec. Lib. I. cap. 9. (p. 55 et 68 prior. edit. Heyn.) — Eratosthenes in Catasterismis cap. 15. - et Hyginus in Poet. Astronom. II. cap. 37. — Carrion ad Valer. Flacci Argonautic. I. 324.

(2) Schol. ad Lucan. Pharsal. III. 179. —
. . . . . Quercusque silentes.
« Quercus enim Iovi fuerant consecratae, quae dabant (*observa pluralem numerum*) responsa mortalibus. Has postea Lacedaemonii subruerunt."

(3) Serv. ad Virg. Aeneid. III. 466. —
. . . . . Dodonaeosque lebetas.
«Ab Arce latrone Illyrio excidi quercus praecepta est." Incertum mihi est de tempore, quo demum hoc evenerit; aevo autem Virgilii intercidisse iam quercum istam vocalem, concludere possumus e verbis (Georg. II. 16.) . . . . . atque habitae Graiis oracula quercus.
ubi Servius: « *Habitae*, quia illo iam tempore silebant."

donae. Unde factum est, ut fatidica eius susurramina non amplius audirentur (1).

---

§ 4.

De ritu divinandi per fontem.

Pauca sunt, quae hac de re dicere possumus. Circa hoc templum (Iovis Dodonaei), inquit Servius, quercus immanis fuisse dicitur, ex cuius radicibus fons manabat, qui, suo murmure, instinctu Deorum diversis oracula reddebat: quae murmura anus, Pelias nomine, interpretata hominibus disserebat (2).

Num

(1) Claudianum, dicentem (De tertio consulatu Honorii v. 117.)

— — — *rursusque* locutae,
In te Chaoniae moverunt carmina quercus.

audiendum magis, ut poetam, quam ut historicum, confici potest ex iis, quae superius dixi.

(2) Servius ad Virg. Aeneid. III. 466.

Num hic idem fuerit fons, de quo Lucretius cecinit:

Frigidus est etiam fons, supra quem sita saepe
Stupa iacit flammas, concepto protinus igni (1).

Et de quo Pomponius Mela, in descriptione Epiri, sic loquitur (2), « et fons (ibi) ideo sacer, quod, cum sit frigidus et immersas faces, sicut ceteri, extinguat, ubi sine igne procul admoventur, accendit," mihi non constare ingenue fateor.

§ 5.

De ritu divinandi ex ahenei lebetis tinnitu.

Ut bene intelligamus, qua via, quaque ratione haec ista divinatio processerit, non inutile erit ea referre, quae, tanquam verba antiquarii cuiusdam Polemonis, leguntur apud Stephanum

(1) Lucretius de Nat. Rer. VI. 879.

(2) Pompon. Mela Lib. II. cap. 3.

num Byzantinum(1): « Dodonae sunt duae columnae parallelae et sibi invicem propinquae; et in altera quidem est aeneum vas non magnum, sed hodiernis simile lebetibus; in altera vero puerulus habens in manu dextra flagellum, ad cuius dextrum latus stat columna parvum lebetem sustinens. Cum igitur ventus incepit flare, etiam flagelli funes aenei, non secus ac veri et naturales funes, a vento sublevati, percutere solent vas illud aeneum, et hoc quidem sine intermissione, quamdiu ventus durat(2).

Ex

---

(1) Steph. Byzant. in fragm. de Dodona.

(2) Aristotelem scripsisse idem de columnis istis Dodonaeis, patet e verbis Eustathii ad Homer. Odyss. XIV. 327. — et Schol. ad Homer. Iliad. XVI. 233. — Alii tamen aliter. Vid. Demon (sic scribendum) apud Steph. Byzantin. ll. — Serv. ad Virg. Aeneid. III. 466. — Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Delum v. 286. — van Dale de Oracul. Origin. p. 199. seqq. — De causa, cur consulerentur lebetes, haec habet Creuzerus ll. « Becher oder Kessel und Becken möchten die Sinnbilden des Flussbeckens in diesen Waldungen gewesen seyn, und in der schon oft von uns berührten Vorstellungsweise. wurden nun Quelgötter und Quelgöttinnen als rathgebende Wesen genommen. Es wurde nun auch aus Becken und Kesseln prophezeit."

Ex eo quidem tinnitu, quem vas seu lebes ille aheneus ederet, res futuras praedictas esse, multi auctores prodidere (1).

§ 6.

De ritu divinandi per sortes.

Κληρομαντείαν s. divinationem per sortes, cuius inventrix Minerva dicitur (2), exercitam fuisse in urbe Dodonae, testes sunt Cicero et Livius.

Ille enim, loquens de prodigiis, quae paulo ante pugnam Leuctricam Lacedaemoniis apparuere, sic ait:

« Maximum vero illud portentum iisdem Spartia-

(1) Vid. Spanhem. et v. Dale ll. — Gronov. in not. ad Stephan. Byzantin. p. 315. — Commentat. ad Valer. Maxim. Lib. VIII. cap. 15.

(2) Stephan. Byzant. in v. Θρία, et Commentator. ad Pindar. Pyth. IV. 338.

tiatis fuit, quod, cum Oraculum ab Iove Dodonaeo petivissent, de victoria sciscitantes, legatique illud, in quo inerant sortes, collocavissent, simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortes ipsas et cetera, quae erant ad sortem parata, disturbavit et aliud alio dissipavit. Tum ea, quae praeposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedaemoniis esse, non de victoria cogitandum(1)."

Livius, commemorans de Alexandro, Epiri rege, (qui, Tarentinis auxilium laturus contra Bruttios, occiderat, e praedictis Oraculi Dodonaei), loquitur ad hunc fere modum: « Eodem anno (331. a C. N.) Alexandriam in Aegypto proditum conditam: Alexandrumque Epiri regem, ab exule Lucano interfectum, sortes Dodonaei Iovis eventu affirmasse. Accito ab Tarentinis in Italiam, data dictio erat: *caveret Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem: ibi fatis eius terminum* *da-*

(1) Cic. de Divinat. I. 34. II. 32.

dari. Eoque ocius transmisit in Italiam, ut quam maxime procul abesset urbe Pandosia in Epiro, et Acheronte amni, quem ex Molosside fluentem in stagna inferna accipit Thesprotius sinus. Ceterum (ut ferme fugiendo in media fata ruitur) quum saepe Brutias Lucanasque legiones fudisset: Heracleam Tarentinorum coloniam, Consentiam ex Lucanis, Sipontumque, Brutiorum coloniam Acerinam, alias inde Messapiorum ac Lucanorum cepisset urbes; et trecentas familias illustres in Epirum, quas obsidum numero haberet, misisset: haud procul Pandosia urbe imminentes Lucanis ac Brutiis finibus treis tumulos aliquantum inter se distantes insedit, ex quibus incursiones in omnem partem agri hostilis faceret; et ducentos ferme Lucanorum exules circa se pro fidis habebat, ut pleraque eius generis ingenia sunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem. Imbres continui campis omnibus inundantes, quum interclusissent trifariam exercitum a mutuo inter se auxilio

lio duo praesidia, quae sine rege erant, improviso hostium adventu opprimuntur; deletisque eis, ad ipsius obsidionem omnes conversi: inde ab Lucanis exsulibus ad suos nuncii missi sunt: pactoque reditu, promissum est, *regem aut vivum aut mortuum in potestatem daturos.* Ceterum quum delectis ipse egregium facinus ausus, per medios erumpit hostes et ducem Lucanorum cominus congressum obtruncat: contrahensque suos ex fuga palatos, pervenit ad amnem ruinis recentibus pontis, quem vis aquae abstulerat, indicantem iter. Quem quum incerto vado transiret agmen, fessus metu ac labore miles, increpans nomen abominandum fluminis, *iure Acheros vocaris,* inquit; quod ubi ad aures accidit regis adiecit extemplo animum fatis suis: substititque, dubius, an transiret. Tum S o t i m u s, minister ex regiis pueris, quid *in tanto discrimine periculi cunctaretur* interrogans, indicat, *Lucanos insidiis quaerere locum.* Quos ubi respexit rex procul grege facto venientes, stringit

git gladium et per medium amnem transmittit equum. Iamque in vadum egressum eminus veruto Lucanus exsul transfigit (1).

---

(1) Vid. Livius Histor. VIII. 24. et Drakenborch. ad Lib. V. 15. in fin. — Confer. Strabo VI. p. 393. — Iustin. Histor. Lib. XII. cap. 2. ibique Berneccerus. — Divinationem e sortibus (scilicet *tesseris*) hodieque etiam in usu esse apud incultissimos fere Africae populos, testatur Lichtensteinius in Peregrinatione per meridionalem Africae partem. Tom. IV. p. 523. belg. edit.

CA-

CAPUT III.

DE VI ET EFFICACIA ORACULI DODONAEI.

§ 1.

De coloniis, quas ex auctoritate Oraculi Dodonaei deduxerunt Pelasgi et Troiani.

Inquirentibus nobis in praecipuam effectuum partem, quos quidem in rem publicam habuerunt oracula (maximum enim vinculum erat quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis inter res civiles s. politicas et divinas s. religiosas), quibus olim in Graecia fuit locus; hi, quos

 dixi,

dixi, effectus quadruplicis praesertim generis esse videbuntur:

1. Ut Oraculorum auctoritate coloniae deducerentur.

2. Ut in turbidis rebus pax et tranquillitas restitueretur.

3. Ut bellum contra hostes decerneretur.

4. Ut leges publicae confirmarentur.

Quod ad primi generis effectus, quatenus pertinent ad Oraculum Dodonaeum; haec novimus e scriptis Dionysii Halicarnassensis(1).

Aliquot olim Pelasgi (scilicet ex iis, quos de patria sua sede, quae Thessalia dicitur, depulerat vis infesta atque inimica *Curetum*, *Lelegum* aliorumque circa Parnassum habitantium populorum) sese contulerant Dodonam, ut ibi cum aliis Pelasgis, secum ex eadem stirpe oriundis, in societatem redacti, tuti servarentur ab hostium suorum impetu.

Postquam vero, aliquantum ibi temporis commo-

(1) Dion. Halicarn. Antiq. Roman. I. 18. 19.

morati, gravari ceteros a se sensissent, quippe quum terra omnibus alendis non sufficeret (1), consultam iverunt oraculum Dodonaeum, ut inde scirent, quid sibi faciendum esset in hac difficultate temporis et loci.

Rogantes igitur de regione, quam denuo peterent, illi hoc quidem responsum tulerunt:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται.
Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ
Καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Pergite quaerentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginidem Cotylen, ubi se insula vectat;
Queis misti decimas Clario transmittite Phoebo,
Atque Iovi capita — — — — — —

Sic etiam narrat idem Dionysius, Troianos, Troia profugos, cum, Aenea du-

(1) Sterilitatem agrorum saepius unam fuisse ex causis, cur sedes suas mutarent Gentes, notat Grüterus ad Vellei. Patercul. p. 520. edit. Ruhnken.

duce, Butrotum Epiri portum appulissent; incertique haererent, quo se verterent, aut quid agerent, abiisse petituros consilium ab Oraculo Dodonaeo (Dodona enim aberat a portu Butroti circiter duorum dierum spatium (1)), ut cura et sollicitudine liberarentur. Quibus tum deliberantibus praeceptum est « cursum dirigerent versus Occidentem, donec in eum locum pervenissent, ubi mensas comederent (2).»

Etsi iam non multo plura apud veteres Historiarum scriptores inveniantur, quae argumento esse possint, et alias colonias, iussu Oraculi Dodonaei, emissas esse; non tamen dubitandum videtur, quin et aliae plures deductae sint huius oraculi monitu. Huc enim respicit Cicero, dicens: « Quam vero Graecia coloni-

(1) Dion. Halicarn. l. l. I. 51.

(2) De exitu rei, vid. Dion. Halicarn. I. 55. — Confer. Virgil. Aeneid. III. 254. seqq.

Ibitis Italiam, portusque intrare licebit,
Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.

ibi vid. Servius.

niam misit in Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine Pythio, aut Dodonaeo aut Hammonis Oraculo (1)?"

---

§ 2.

De pace et tranquillitate Calydoniis reddita, postquam consuluissent Oraculum Dodonaeum.

Effectuum, quos, ex Oraculis Graeciae in rem publicam profluentes, in superioribus attigi, exemplum secundi quidem generis profert Pausanias in *Achaicis* (2).

Fuit scilicet, dum Calydon stetit, inter alios Liberi patris (cuius ibi templum) sacerdotes, Coresus quidam. Amabat hic Calirrhoën virgi-

(1) Cic. de *Divin.* I. 1.

(2) Pausan. Lib. VII. cap. 21.

ginem; sed quanto magis flagraret amore Coresus, tanto erat puellae animus ab eius cupiditate alienior. Quare quum nullo modo flectere virginem posset Coresus, postremo se supplex coniecit ad Liberi signum. Non fuit irrita sacerdotis precatio; siquidem statim Calydonios incessit ebrietati persimilis quidam furor.

In ea tempestate mittunt Dodonam consultum, quidnam facerent de rebus suis. Erat enim, tunc temporis, apud eius orae incolas, Aetolos et eorum finitimos, Acarnanas et Epirotas, columbarum, quae de quercu responsa dabant, valde celebrata fama. Quo posteaquam venissent, consultoribus responsum est, placandum Liberum, cuius ira tantum apportasset malum; rationem vero placandi nusquam nisi in eo consistere, ut Coresus vel Calirrhoën immolaret, vel alium substitueret, qui se pro illa devoveret. Puella, quum nihil inveniret, quo servaretur, destinatur caedi. Iis omnibus iam comparatis, quae ex oraculi Dodonaei iussu in promptu esse oportebat, illa deducitur ad aram. Tum vero Coresus, recenti captus amo-

amore et misericordia ductus, nihil iam pristinae in puellam irae indulgens, se ipsum pro illa devovit.

Quanquam nondum plura secundi huius generis exempla invenire mihi contigit, credo tamen, non pauca olim fuisse propter celebritatem Oraculi Dodonaei (1).

§. 3.

---

(1) Extat etiam aliud quoddam effatum Iovis Dodonaei, unde patet, illum paci et tranquillitati singulorum utique hominum maxime consuluisse, scilicet asylum aperiendo. Tempore enim Aphidantis (uti narrat Pausanias) haec monuit:

> Φράζεο δ' Ἄρειόν τε πάγον, βωμούς τε θυώδεις
> Εὐμενίδων, ὅτι χρὴ Λακεδαιμονίους σ' ἱκετεῦσαι
> Δουρὶ πιεζομένους· τοὺς μὴ σὺ κτεῖνε σιδήρῳ,
> Μηδ' ἱκέτας ἀδικεῖν· ἱκέται δ' ἱεροί τε καὶ ἁγνοί.
> Ara tibi Eumenidum fumans et curia Martis
> Sint cordi: huc bello domiti nam forte Lacones
> Suppliciter tristes venient; tu proiice tela,
> Supplicibus parcens, divûm quos iura tuentur.

Vid. Pausan. Lib. V. cap. 25. — conf. Samuelis Petiti Commentar. in Leges Atticas Lib. I. Tit. I. p. 80 et 85.

§ 5.

De bellis, Oraculi Dodonaei monitu, susceptis.

Ne nunc dicam de iis, quae habet Herodotus in libro Historiarum primo: Croesum scilicet, timentem, ne Persarum potentia, imperante Cyro, nimis augeretur, in consilium adhibuisse inter Oracula plura etiam Dodonaeum, de suscipiendo contra Persas bello (1); alia sunt, e quibus facile cuivis est intellectu, quantam olim auctoritatem habuerit hac in re Oraculum Dodonaeum.

Diodorus Siculus memorat, Lacedaemonios haud longe post bellum, quod Thebani, duce Epaminonda, gesserunt cum Thessalis, acre praelium commisisse cum Arcadibus; Lacedaemoniorum autem ne unum quidem

(1) Herodot. Histor. I. 45. ubi dicit: « Quid porro cetera responderint oracula (quibus comprehenditur Dodonaeum) a nemine commemoratur."

dem in hoc proelio cecidisse. Quod ita futurum praedixerant vates Oraculi Dodonaei. Ita enim cecinerant, « πόλεμος οὗτος Λακεδαιμονίοις ἄδακρυς ἔσται (1)."

Sic Plutarchus quoque narrat Agesilaum Magnum, quum, ut liberaret Graecos a Persarum dominatione, consuluisset Oraculum Dodonaeum, responsum tulisse, ut expeditionem, sicuti animo agitabat, ita susciperet. Qua de re cum sciscitaretur Apollinem Delphicum, rogando: Apollo, idemne tibi videtur quod patri? Eo adstipulante imperator creatus expeditionem fecit (2).

§ 4.

(1) Diodor. Sic. Lib. XV. cap. 72. — Nisi haec sint ipsius Diodori verba; ex hoc quidem loco conficere possumus, iis iam temporibus vates Iovis Dodonaei respondisse ἀμέτρως.

(2) Plutarch. in Apophtegm. Lacon. p. 832. edit. Wyttenb.

§ 4

Legem publicam Atticam de Deorum cultu, quatenus ad Iovem spectaret, confirmavit monitum Oraculi Dodonaei.

Θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν — summa Lex erat, quam Athenienses habebant. Cui vero legi ut divina quaedam vis adderetur, praesides Oraculorum curabant, quaestus sui causâ.

Non est igitur, cur miremur sacerdotis Iovis Dodonaei praecepta, quae citat D e m o s t h e n e s in Oratione contra Midiam (Orat. Att. Reisk. p. 531):

Τῷ δήμῳ τῶν (1) Ἀθηναίων ὁ τοῦ Διὸς (Iovis sacerdos) (2) σημαίνει, ὅτι τὰς ὥρας παρηνέγκατε τῆς θυσίας καὶ τῆς θεωρίας, αἱρετοὺς πέμπειν κελεύει θεωροὺς

(1) Alii codices habent τῷ Ἀθην. (vid. Orat. Attici ex rec. J. B e k k e r i IV. p. 478).

(2) Minus recte Hier. W o l f i u s vertit *I o v i s filium.* Uti hoc in loco ὁ τοῦ Διὸς simpliciter pro *I o v i s sacerdos*, sic apud A c h i l l e m T a t i u m p. 4. (ed. Mitscherlich.) τῇ τῶν Φοινίκων pro *Phoenicum Deae.*

ροὺς ἱερεῖα, καὶ τούτους διὰ ταχέων τῷ Διὶ τῷ Ναΐῳ (1) (sic legendum) ἀροτρεῖς βοῦς (2), καὶ πρὸς ἑκάστῳ δύο βεύσεις. τῇ δε Διώνῃ βοῦν καὶ ἄλλα ἱερεῖα, καὶ τράπεζαν χαλκῆν. καὶ πρὸς, τὸ ἀνάθημα, ὃ ἀνέθηκεν ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων

Ὁ τοῦ Διός (Iovis sacerdos) σημαίνει ἐν Δωδώνῃ Διονύσῳ δημοτελεῖς (3) ἱερεῖον τέλειον, καὶ κρατῆρα κεράσαι, καὶ χοροὺς ἱστάναι Ἀπόλλωνι ἀποτροπαίῳ βοῦν θῦσαι, καὶ στεφανηφορεῖν ἐλευθέρους καὶ δούλους, καὶ ἐλινύειν (3) μίαν ἡμέραν. Διὶ κτησίῳ βοῦν λευκόν.

---

(1) Iovem Dodonaeum nominatum esse Ναῖον notat Steph. Byzant. et Valcken. in Dissert. de Schol. in Homer. p. 126.

(2) De hoc sacrificii genere, quod Iovi factum est, vid. Jac. de Rhoer in Feriis Daventriens. p. 168. seqq.

(3) Praefero lectionem δημοτελεῖς, quam approbavit Taylor, quamque confirmare videtur codex unus. (Cf. Orat. Att. ex rec. J. Bekkeri, p. 478. in not).

(4) Sequor lectionem Reiskianam, quam confirmarunt Codices. — Vid. Or. Att. Bekkeri, l. l.

CON-

CONCLUSIO.

DE INTERITU ORACULI DODONAEI.

Nihil est adeo sanctum, quod non aliquando violet audacia. Illud etiam expertus est Iupiter Dodonaeus. Licet enim veracissima vulgo essent responsa, quae proferret (1), non tamen ab eius Oraculo manus suas hostiles abstinuit audax hominum genus. Oraculo enim cum tota Epiro exitium attulere primum Aetoli Ol. CXL.

(1) Hinc apud Ovidium (Trist. IV. 8. 43.):
Hoc mihi si Delphi, Dodonaque diceret ipsa,
Esse viderentur vanus uterque locus.
et Propertium (Lib. II. Eleg. 17. vs. 3.)
Sed tibi iam videor Dodona verior augur?
Veritatis studii, quo sacerdotes Iovis Dodonaei (uti et antistites *Iovis Ammonis*) incensae erant, exemplum proferunt Diodorus Siculus (Lib XIV. 13) et auctor Vit. Excell. Imper. (in vita Lysandri cap. 3).

CXL. 1. — a. C. N. 220. (1); deinde Romani, in bello, quod (a. C. N. 166.) Aemilio Paulo duce, cum Perseo, Macedonum Rege, gesserunt (2). — Atque sic temporum, loci, rerumque mutatio necessitatem tacendi Oraculo Dodonaeo imposuit (3).

(1) Polyb. *Hist.* IV. cap. 67.

(2) Livius Lib. XLV. cap. 34.

(3) Vid. locus classicus apud Strabon. VII. p. 504. — Confer. Arnobius advers. Gentes, Lib. VI. p. 123. edit. Elmenhorst. 1610. — Eusebius, Praeparat. Euangel. IV. p. 134. edit. Paris. 1628. — Athanasius in libello, qui inscribitur: *de humanitate verbi eiusque corporali adventu* p. 67. edit. Frobenian. 1556. — Themistius in Orat. XIX. p. 478. (ed. Petavii, Paris 1618.) ubi notatu digna sunt verba: *καθάπερ τῷ Διῒ τὴν δρῦν τὴν ἐν Δωδώνῃ φασὶ γενέσθαι λόγος.*

T A N T U M.

THE-

THESES.

I.

Ab Homero linguae Graecae studium incipiendum est.

II.

Ciceronis verba (in Bruto cap. 18). « Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poëtae," mea facio.

III.

Assentior acutissimo de Grave, dicenti (République des Champs Elysées Tom. I. p. 172.): « Cependant Homere est un digne Mentor, qui ne prêche que la morale, la vertu et la piété." — Conf. Horatius Epistol. Lib. I. 2.

IV.

Euripidem non vituperari, sed laudari ab Aristotele (de Art. Poët. cap. 13.) ubi dicit: « Καὶ ὁ Εὐριπίδης, = — τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται."

V.

Linguarum studium clavis est verae eruditionis.

VI.

Vere mihi dixisse videtur doct. le Jeune (Geschiedk. en Letterk. Nasporingen 1826) p.

p. 69. « *In het algemeen is de taal van een volk de maatstaf van deszelfs kundigheden, vorderingen en beschaving.*"

VII.

Iuventutis instituendae atque educandae munus cum civitati fructuosum, tum summi Imperantis cura dignissimum est.

VIII.

Minime assentimur iis, qui statuant, grammaticae artis studium indignum esse philosopho. Grammatica enim fons quidam et origo est omnium disciplinarum atque adeo praecipua pars philosophiae.

IX.

Eleganter **Kantius** *(in Anthropolog. p. 160).* « *Das eigentliche Feld für das Genie ist das der Einbildungskraft, weil diese schöpferisch ist, und weniger, als andere Vermögen, unter dem Zwange der Regelen steht, dadurch aber der Originalität desto fähiger ist.*

X.

Quod **Horatius** *dicit (Satir. I. 3. 113.)* « *Nec natura potest iusto secernere iniquum.*" *non intelligi potest de natura humana, stricte sic dicta.*

XI.

Vere dixit **Garvius** *(in Observ. ad Cic. de Offic. p. 57).* « *Der mensch, welcher Kraft*

Kraft haben soll, etwas zu ertragen oder zu thun, musz sich selbst für etwas *halten. Ohne ein Bewusztseyn seiner würde, ist ihm weder die Erhabenheit über die aüszern Dinge, noch eine sehr lebhafte Kraftäuszerung, möglich.*

XII.

Recte (ap. Platon. de Legg. II. p. 86. edit. Ast.) ad quaestionem, « num ea licentia concedenda sit poëtis, ut, quicquid ipsos in poësi delectet ad numerum vel modum vel dictionem spectans, id doceant et proferant? Clinias inquit, Nequaquam hoc est consentaneum!" Quamobrem nos minime hac in re assentimur Catullo, dicenti (XVI. 6).

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum: Versiculos nihil necesse est.

XIII.

« Pietate adversus Deos sublata fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus iustitia tollitur," dicimus cum Cicerone (de Nat. Deor. I. 2).

Notanda.

p. 11. reg. 3 infr. addatur" et Wyttenb. ad ll. in edit. p. 179.
p. 52 reg. 6 infr. leg.: « se *fore* fuisse venditum."